

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition
sortie des presses de Schouten, à Amsterdam, en 1754.

P. LOTICHII SECUNDI CARMINUM LIBER PRIMUS.

(704 vers)

AD DANIELEM STIBARUM EQ. FR.

C1_1 v.1 Hunc dono tibi carminum meorum
2 non dico lepidum, novum libellum,
3 Maecenas venerande, sed pudicum.
4 Curas inter et anxios labores,
5 et sortis querimonias amarae,
6 annis viximus (heu) tumultuosis.
7 His in fluctibus, impetuque rerum,
8 ecquis molle quid exararet, ecquis
9 versus conderet elegantiores ?
10 At nunc munere cum tuo revisam
11 jucundos Aganippidum recessus,
12 o praedulce meum decus, Stibare,
13 blanda, si mihi Dii favent, in umbra
14 puris, et nitidissimis nec aetas
15 quos ventura redarguat, libellis,
16 laudes omne tuas feram per aevum.

AD JOANNEM HAGIUM.

C1_2 v.1 Hagi, prime sodalium meorum,
2 qui cum nos aleret novem Dearum
3 dulci Lanus in otio solebas
4 mecum ducere saepe non inertem
5 fultus caespite florido quietem,
6 qua fagi, corulique, populique,
7 et densae salices utraque ripa

8 frondosis fluvium comis obumbrant.
 9 Quid dum bella tument nefanda, rerum
 10 in Martis geris urbe ? Me nivali
 11 longo tempore detinet sub Arcto
 12 fati saeva necessitas acerbi.
 13 Hic tabesco, gravissimis peresus
 14 curis (heu) sine te, miserque vivo,
 15 inter tela, licentiamque ferri,
 16 divisus procul a meis libellis ;
 17 et nunc vel situs hos araneosus
 18 foedat, delicias meas : vel igni
 19 hostis tradidit : hoc fleam necesse est,
 20 Hagi, prime sodalium meorum.

AD TUMULUM L. MATERNI MILITIS FORTISSIMI.

C1_3 v.1 Haec, Materne, tibi gelida monumenta sub Arcto
 2 Albidos ad liquidas pono Secundus aquas.
 3 Effusum patriae pro libertate cruorem
 4 indicat incisus populus icta notis.
 5 Non lacrimis hoc funus eget : solacia forsan
 6 talia plebeis manibus esse solent.
 7 Te magni super astra duces, validaeque cohortes,
 8 pulsaque sollemni classica more vehunt.
 9 Mille viae casus tecum, bellique labores,
 10 frigus et excubias, pauperiemque tui.
 11 Praeceptisque tuis fateor debere, quod aetas
 12 prima rudimentis est in honore suis.
 13 Hoc igitur munus, magnis quod saepe negatum
 14 regibus, a socio milite miles habe.

AD MELCHIOREM ZOBELLUM WERTACHENSEM, COMPATREM SUUM.

C1_4 v.1 Dum te Parrhasio sub axe Mavors
 2 castris detinet in tumultuosis,
 3 jucundissime Melchior Zobelle :
 4 nos hic unanimes tui sodales,
 5 Altus, Varus, Acontius, Secundus,
 6 ad sedes patrias sumus reversi.
 7 Et nunc inter amabiles amicos
 8 narrantes varios periculorum
 9 casus, bella, fugas, ducum labores,
 10 exhausti reminiscimur laboris :
 11 et te saepe, Zobelle, nominamus,
 12 et votis celerem tibi precamur
 13 acri a militia vacationem.
 14 Vivas molliter axe sub nivali,
 15 vivas dimidium mei, nec olim
 16 obliviscere, mi Zobelle, Musas.
 17 Crescunt in reditum tuum virentes
 18 et lauri, et Veneri dicata myrtus.

IN MALUM POETAM.

C1_5 v.1 Salax Poeta (paene nomen addidi)

2 nugator efferate, saeculi pudor,
 3 adhucne dentes exseris famelicos ?
 4 Et plena febris atque pestilentiae,
 5 vates siticulose, ructas carmina ?
 6 Me, me lacesse, me pete, ut remordeam,
 7 casti pater diserte contubernii.
 8 An nomen addam ? Nolo, ne superbias.
 9 Clamabo tantum, pace quod fiat tua,
 10 o carminum venusta liberalitas.

AD CAROLUM CLUSIUM, DE HELIOTROPIO, HYACINTHO ET LAURO.

C1_6 v.1 Adspice, dum riguo, Clusi, spatiamur in horto,
 2 ut Clytie Phoebi servet euntis iter.
 3 Credibile est illam, quamvis radicibus haeret,
 4 Nunc quoque dilecti Solis amore trahi.
 5 Hanc prope suave rubes Hyacinthe, sed invida Daphne
 6 integit oppositis germen utrumque comis.
 7 Pallida languescit Clytie, ponitque decorem,
 8 languet et Oebalius fletque gemitque puer.
 9 Sensus inest igitur plantis, gaudentque dolentque
 10 certaque naturae dant documenta suae.
 11 Quisquis es, hos noli flores temerare viator.
 12 Nunc quoque, quos olim Phoebus amavit, amat.

AD JOANNEM ALTUM, POETAM SUAVISSIMUM.

C1_7 v.1 Saepe meae nomen simul inter vina puellae
 2 more jubes prisca temporis, Alte, bibam.
 3 Tu Violantillam potas, mihi Claudia septem
 4 dat cyathos, et jam frigida fugit hiems.
 5 Quid faciam sicci cum terga Leonis adibit
 6 Phoebus, et ingratus faucibus aestus erit ?
 7 Ergo meae propter nomen breve cogar amicae
 8 ferre sitim ? Tanti nulla puella mihi est.
 9 Non tamen hanc dominam mutabo, sitimque levabo,
 10 quid facies igitur, quaeris ? Amabo duas.

AD J. FABRICIUM MONTANUM.

C1_8 v.1 Montane, Aonidum comes sororum,
 2 hos sex continuos mihi per annos,
 3 dum Mars turbat Hyantias puellas,
 4 numquam vise, sed omnibus diebus
 5 pars desiderii mei sub Arcto,
 6 ecquid vivis adhuc, valesque ? Nam te
 7 noster vivere nuntiavit Altus.
 8 O factum bene ! O vetus sodalis,
 9 quo non suavior est, erit, fuitve.
 10 Dic, quidnam tot agunt pares amici ?
 11 Blandi Carolus arbiter leporis,
 12 et tu, mi Guilielme, tuque Funci,
 13 jucundi, unanimes, et eruditi ?
 14 Illam ver utinam novum reducat,
 15 qua vos alloquar, audiamque, lucem !

16 Heu quot casibus, et quibus procellis
 17 jactatum accipies tuum Secundum !
 18 Tunc fontis liquidas sedens ad undas,
 19 ut mos esse tuus solebat olim,
 20 argutos mihi carminum libellos
 21 sub fago recitabis, aut sub ulmo.
 22 Nunc Alpes nivibus jacent amictae,
 23 quando Phillyrii senis per astrum
 24 declives agit imbrifer jugales,
 25 hiberno properans ab axe Phoebus.

AD CLAUDIAM.

C1_9 v.1 Claudia, virginei flos illibate pudoris,
 2 quae superas vernis lilia mista rosis,
 3 quam conferre bonis tibi casti pectoris ausim ?
 4 Quamve parem formae dotibus esse putem ?
 5 Si fortuna minus mea lamentabilis esset,
 6 saecula si dulci pace quieta forent,
 7 te quoque laudatas inter, me vate, puellas
 8 tolleret ex humili fama perennis humo.
 9 Lesbia non majus, nec Delia nomen haberet.
 10 Haereret capiti prima corona tuo.
 11 Annue diva Venus, da longum ferre per aevum
 12 tot bona da : facta pace redire domum.
 13 Ipse tibi galeam suspendam gratus et hastam,
 14 lucidus irrigua qua strepit Acis aqua.
 15 Et breve carmen erit : "Vates Cytherea Secundus
 16 haec tibi militiae dedicat arma suae."

INFERIAE AD GEORGII LOTICHII FRATRIS TUMULUM.

C1_10 v.1 Tandem post varios bellique viaeque labores
 2 contigit ad cineres, frater, adesse tuos.
 3 Frater amabilior dulcis mihi lumine vitae.
 4 Aetheris, heu, pulchra quam cito luce cares !
 5 Quattuor addideras septem natalibus annos,
 6 jamque lyrae cordi, jam tibi carmen erat.
 7 Tempore quo tecum spem nostram fata tulerunt,
 8 et lacrimis patrias Cynthius auxit aquas.
 9 Non reditu potuere tuo gaudere parentes :
 10 ingenii nullum divitis exstat opus.
 11 Ah, miserande puer, peregrina condite terra,
 12 dimidium tecum mors tulit atra mei.
 13 Gloria Musarum tu summa futurus, et olim
 14 dulce decus nostrum, si licuisset, eras.
 15 Salve care cinis, frater carissime quondam,
 16 nunc cinis, aeternum rursus ave, atque vale.

AD ACIN FONTEM.

C1_11 v.1 Aci, decus nemorum, viridi circumdate musco,
 2 unde ferunt atavos saepe bibisse meos,
 3 tu mihi secessus Heliconis, et otia praestas,
 4 Aoniasque tuo fonte recludis aquas.

5 Tu placido molles invitas murmure somnos,
 6 nec levat arentem purior unda sitim.
 7 Non pecudes rivum turbant, limusve, sed imum
 8 splendidior vitro lucet ad usque solum.
 9 Flumineos latices hic libat, et abdita ramis
 10 multa nemus querulis cantibus implet avis.
 11 Hei mihi, quod juvenis tellure altrice relictā
 12 his careo silvis, hic ego semper aquis.
 13 Dulce sed exhausti quondam meminisse laboris,
 14 estque pererrato gratior orbe quies.
 15 Ergo vale rursus, nostri memor, herbifer Aci.
 16 Hoc tibi discedens opto, perennis eas.

AD NYMPHAS.

C1_12 v.1 Fontibus Nymphae genus unde sacrum,
 2 quae salutare colitis recessus,
 3 et scatens rivis nemus, et calentes
 4 sulphure lymphas :
 5 ecce sescentas voveo coronas
 6 pro mei vobis reditu Stibari,
 7 ut suos vestris repetat penates
 8 sospes ab undis.
 9 Grande qui rerum columen mearum
 10 hic odoratas cithara per herbas
 11 dulce me curis jubet expeditum
 12 fingere carmen.
 13 Ipse, qua densas strepit inter alnos
 14 Cynthius, molli residens in umbra
 15 vota persolvam, cumulans sacratas
 16 floribus aras.
 17 Nunc maris rorem sat, amaracumque,
 18 et comas thymbrae dare, post et udas
 19 offeram myrtos, et Apollinaris
 20 germina lauri.

AD GEORGIUM FABRICIUM.

C1_13 v.1 Argutae fidicen lyrae, Georgi,
 2 dic nobis age, cur tuos libellos,
 3 illos candidulos, et expolitos
 4 perfectum tibi vicies ad unguem,
 5 inclusos retines domi ? Nec ire
 6 doctorum sinis ora per virorum ?
 7 Jam sat (nam modus esse debet) illos
 8 aerumnosa coercuit litura.
 9 Jam flores lepidos sat addidisti,
 10 jam permitte licentius vagari.
 11 Non aevo tibi degener futuro
 12 livor dentibus invidis nocebit,
 13 multis nec lyricis minor per orbem
 14 junctus vatibus ibis, et legeris.
 15 Salvete, o lepidissimi libelli,
 16 dulces in quibus abluere Musae,
 17 et blandas Charites manus, et Horae,
 18 quam vos terque quaterque suaviabor !

JESU CHRISTO SALVATORE.

C1_14 v.1 Has lacrimas, haec, Christe, tibi suspiria vates
 2 dedicat, hos oculos, seque animamque suam.
 3 Tu, precor, audacis dele commissa juventae,
 4 tu liquido sordes abluere rore meas.
 5 Respice nos, fragiles cum deseret halitus artus,
 6 summaque cum terris fulserit illa dies,
 7 cum tuba per densas sonitum dabit horrida nubes,
 8 hocque triplex mundi flamma resolvat opus.
 9 Quicquid erit, breve erit : nec enim, dulcissime, longe
 10 auguror adventus tempus abesse tui.
 11 Interea tibi mane novo, tibi vespere sero,
 12 grata tibi media carmina nocte canam.
 13 Atque utinam plures oculos natura dedisset,
 14 ipse vel in lymphas totus abire queam !
 15 Scilicet ut maerens lacrimarum fonte perenni,
 16 vulnera tabifica cuspide facta lavem.
 17 Hospitium tu, Christe, humilis ne despice cordis.
 18 Dulce tibi soli vivere, dulce mori.

AD RUDELIUM, ET DRACONEM.

C1_15 v.1 Rudeli, et Draco, candidi sodales,
 2 salsas Tethyos ad frementis undas,
 3 lugete o simul et pari dolore,
 4 ubertim lacrimae per ora manent
 5 stillatimque fluant, et hinc et illinc.
 6 Limpergus superas reliquit auras,
 7 Limpergus jacet, heu : proculque Moenus
 8 in ripa tumulum videt recentem.
 9 Nos, longis regionibus remoti,
 10 udas nec lacrimis damus coronas,
 11 nec (si qua est ea manibus voluptas)
 12 quem saltem properans legat viator,
 13 signamus titulo brevi sepulcrum.
 14 At tu, cui citharae potens canorae
 15 dulci Musa dedit placere versu,
 16 raptum funere tam bonum sodalem,
 17 fatis eripe, mi Draco : nec olim
 18 Limpergum premat invidis tenebris
 19 aetatis taciturnitas futurae.
 20 Sed candor niveus, gravisque virtus
 21 longis carmine consecrata saeculis
 22 notescant magis, arduisque famae
 23 semper laetius evehantur alis.
 24 Hoc est aere perennius sepulcrum.

AD GEORGIUM CRACOVIVM, ET M. LUCANUM.

C1_16 v.1 Lucane optime, tuque mi Georgi,
 2 qui versus canitis venustiores
 3 et Graiae pede vocis, et Latinae,
 4 istos, si libet, urbis inquietae

5 linquamus strepitus, et, ut solemus,
 6 jucundis spatiemur in viretis,
 7 restagnantis ad Albidos fluentum.
 8 Lassi nunc etenim juvantur artus
 9 caeli temperie serenioris,
 10 et leni simul ambulatione :
 11 dum blandae nemoralibus sub umbris
 12 mulcent aera cantibus volucres,
 13 et gratis parit irrigata rivis
 14 flores gramine discolore tellus.
 15 O dulcissima solitudo ruris !
 16 O silvae virides ! Avete Nymphae,
 17 et fontes, et agelluli salubres,
 18 vos ignobilis otii voluptas,
 19 et nostri requies laboris estis.
 20 It securus dies, soporque mollem
 21 totis noctibus irrigat quietem.
 22 O vere ter et amplius benigno
 23 ortus sidere, qui sibi ipse notus
 24 sic degit placide, videtque tecto
 25 fumum dum salit ater ex avito !
 26 Hoc vitae genus est beatioris,
 27 Lucane optime, tuque mi Georgi.

PRO WOLFGANGO NEUSTETERO COGNOMENTO STURMER, EQ. FRANC.

C1_17 v.1 Da violas hospes, jacet hac Sturmerus in urna,
 2 qui puer immiti caesus ab hoste fuit.
 3 Aspera collatis dum temptat proelia signis
 4 Marchio, prolapso concidit ictus equo.
 5 Sic ego saepe rosas, sic uda papavera vidi,
 6 candida sic primo lilia vere mori.
 7 Ille quidem patrii quondam cognominis haeres,
 8 acer et invicto Marte futurus erat.
 9 Atropos invidit : generis nec profuit ingens
 10 gloria, principibus nec placuisse viris.
 11 Hoc satis : hospes abi, nec vivere differ in horas :
 12 eximium Lachesis nil sinit esse diu.

SUPPLICATIO AD JESUM CHRISTUM DEUM OPT. MAX.

C1_18 v.1 Jesu redemptor ac protector omnium,
 2 idemque lux mortalium,
 3 te (nam quid ultra est ?) noxiis heu plurimis
 4 contaminatus invoco.
 5 Jam, jam dolet, quod egi, jam, jam paenitet,
 6 errata jam nosco mea.
 7 Ut fervida vi Solis usta languidas
 8 ponit comas amaracus,
 9 sic maeror ossa devoravit intima,
 10 totusque, Christe, languedo.
 11 Penitusque contabescerem, nisi tuae
 12 confiderem clementiae.
 13 Miserere fons salutis, et dulci meum
 14 cor irriga solacio,
 15 animumque saevis libera terroribus,

16 tuoque reple spiritu.
 17 Te luce prima, nocte te sera canam,
 18 lyraeque gratias agam.
 19 Qua natus ille ex Isaci nepotibus
 20 vates tuam potentiam,
 21 victorias cecinit tuas, et innuba
 22 te nasciturum virgine.
 23 O sauciae spes una conscientiae
 24 cruore me lava tuo.

AD PUERUM SUUM IN DIE NATALI P. VERGILII MARONIS.

C1_19 v.1 Ternas, i puer, ocius coronas
 2 nectas ex apio, marisve rore,
 3 aut thymbra gracili : nec est pudori
 4 nostris populus, aut salix capillis,
 5 quas ripis Arar educat propinquis.
 6 Nam myrto nec adhuc ego, nec ausim
 7 Phoebea caput impedire lauro.
 8 Sambuco quoque dic, et Appiano,
 9 huc ad me veniant, sacras agemus
 10 et vino et fidibus Maronis Idus.
 11 Junctis adsit oloribus Dione,
 12 adsint rite vocantibus Camenae.
 13 O me si qua recessibus Dearum
 14 illis inferat, herbidosque monstret
 15 colles, qua tenui canens avena
 16 te formosa Amarylli, teque Phylli,
 17 Albis Phylli decentior ligustris,
 18 intonsas docuit sonare silvas !
 19 O si se mihi praebeat, sed olim,
 20 argutis imitabilem cicutis
 21 intactum Corydon amans Alexin,
 22 quando limpide te videbo, Minci,
 23 qui natale rigas solum Maronis,
 24 ripas praeteriens harundinosas ?
 25 Sed cesso. Puer, i, frequentiores
 26 adpone, et cyathos capaciores.
 27 Cras rorantia rursus et minuta
 28 imple pocula : sic diem quotannis
 29 hanc ducam, mihi paene cariorem
 30 natali proprio : valetate curae,
 31 vitae pernicies, adeste, Musae,
 32 et lauri, citharaeque, fistulaeque.
 33 Laus et gloria sempiterna vatium est.

AD GREGORIUM SCHECTUM MEDICUM.

C1_20 v.1 Vixi diu curis solutus omnibus,
 2 vixi secundum vota, pace, litteris,
 3 amore abundans, gratia, sodalibus.
 4 Nunc (heu graves rerum vicissitudines !)
 5 Tabesco solus, ut misella amaracus
 6 vesanientis aestibus caniculae
 7 arescit. O decus meum, peregrinus
 8 vix lustra quinque, jamque delectatio

9 omnis, joci, facetiae, cupidines,
 10 studiumque consenescit a radicibus.
 11 Tam mane numquam surgo, nec tam vesperi
 12 carum reviso lectulum, quin maxima
 13 vi lacrimarum diffluam, discriminum
 14 memor ruentis patriae, heu calamitas
 15 abominatae servitutis ! Heu furor !
 16 Heu laeva mens ! Heu civium discordia !
 17 Invidit alma scilicet felicitas,
 18 ne dulce litus Adriatici maris,
 19 per saxa vectus aequoris Ligustici,
 20 Tecum viderem, limpidae Tibridis,
 21 Padive ripis ambulans, ignobili
 22 mederer istis otio molestiis,
 23 ubi nunc bicolore tu jacens sub populo
 24 horas beatas ducis immemor mei.
 25 Nos murmurantis ad caput Druentiae,
 26 vitam trahemus in tenebris exsules,
 27 donec (quod est novissimum) refulserit
 28 desiderata caelitum benignitas.

EPITAPHIUM D. ADOLPHI A CLAUBURG, JURECONSULTI FRANCOFURD.

C1_21 v.1 Adsta parum viator, et pios jube
 2 salvere manes : hic Adolphus est situs,
 3 qui stirpe gentis editus Glauburgiae
 4 majoribus clarissimis, dum viveret
 5 domi forisque notus, ob reconditam
 6 rerum optimarum floruit scientiam,
 7 cursus perennes siderum micantium,
 8 moresque naturae intimos cognoverat,
 9 aeternitati consecrans complurima
 10 quae comprobasset omnis aetas postera,
 11 idem impiger terra, marique gentium
 12 mores et urbes exterarum viderat,
 13 dignumque sese gesserat Re publica.
 14 Sed nil opes, nil dignitas, nil litterae,
 15 nil flos juventae, nil Apollo profuit.
 16 Vix lustra sex peregerat, quando occidens
 17 (heu spes inanes !) Ultimum vidit diem.
 18 Scio, misertum est. I viator, et sacro
 19 levem precare pulveri terram, et vale.

AD RENATUM HENERUM.

C1_22 v.1 Si mecum leviter meridiari
 2 sub myrto libet, aviaque loto,
 3 mi Renate, parum deambulatum
 4 rus ad me venias, ut otiosis
 5 disertos recitet puer libellos
 6 Bembi, Flaminii, Actii, Augurelli,
 7 vel quodcumque bonum simillimumque est.
 8 Nam quasdam volo collocutiones
 9 tecum texere, donec aestuosus
 10 frangat se calor, hinc sedens in herbis
 11 dulci vina refrigerabis unda,

12 qua citros rigat, alluitque lauros,
 13 nostris lympa scaturiens in hortis.
 14 O jucunda beatitudo vitae,
 15 libros inter, et optimos amicos,
 16 quos jungit bona comitas, et una
 17 delectatio rebus ex eisdem,
 18 et Musae, Veneresque transmarinae !
 19 Gaude villula, quam tuum libenter
 20 invisio nemus ! Ecquid aestimandum est
 21 curis esse beatius solutis ?

AD GEORGIUM MARIUM.

C1_23 v.1 Fide Mari, cujus placidus cor molle Cupido,
 2 blandaque jucundo mulcet amore Venus.
 3 Dulcia cur usti celas incendia cordis ?
 4 Si nescis, gravius vulnera tecta dolent
 5 dic age, nam duri sermone levantur amores,
 6 hic tibi colloquii maximus usus erit.
 7 Ipse Cupidineis etiam miser ignibus arsi ;
 8 heu, grave praeteritos est meminisse dies.
 9 Arsimus, et daevos non dissimulavimus aestus,
 10 nec tulit hic Clio, non mihi Phoebus opem.
 11 Vulnera lenibant tantum languentis amici,
 12 una fuit curis haec medicina meis.
 13 Te quoque non pigeat castos memorare calores,
 14 saepius hoc facias, postmodo sanus eris.
 15 Ut relevant lacrimae pressum et suspiria pectus,
 16 sic et amicorum voce levatur amor.

DE BACCHO ET NYMPHIS. AD EUMDEM.

C1_24 v.1 Bacchus amat Nymphas, Bacchum Niseides antris
 2 Naides (ut fama est) occuluere suis.
 3 Illic irriguas fuit enutritus ad undas,
 4 abluit et rapidas, ortus in igne, faces.
 5 Miremur, si laeta mero corrumpitur aetas,
 6 frigidulae si non temperet humor aquae.
 7 Funde, Mari, lymphas : haec doctis apta poetis,
 8 sobrius Aonidum pocula coetus amat.
 9 Vina mihi relevent tacitas, volo, mitia curas,
 10 ante meum tempus non juvat esse senem.

DE SEQUANA, ALBI, ET NICRO FLUMINIBUS, AD EUMDEM.

C1_25 v.1 Sequana jucundus mihi, sed jucundior Albis,
 2 in mare gurgitibus fertur uterque suis.
 3 Sequana corpus habet, cor nostrum detinet Albis,
 4 saevus amor flammis torquet utrumque suis.
 5 Cor tamen est quantum mihi corpore dulcius aegro,
 6 tantum Sequanicis dulcior Albis aquis.
 7 Albis habet gelidas, et habet quoque Sequana lymphas,
 8 non tamen hic nostras, nec levat ille, faces.
 9 Erravi : levat hic, saevos alit alter amores,
 10 Sequana jam flammis mitigat, Albis alit.

11 Nec tamen Albis alit, sed flammam Sequana nutrit,
 12 o grave nunc animae flumen utrumque meae !
 13 At tu, care Mari, si te bene novimus, inquis,
 14 irriguus flumen vincit utrumque Nicer.

EIDEM GEORGIO MARIO SUO.

C1_26 v.1 Pars jucunda sodalium meorum,
 2 qui saevos numeris Catullianis
 3 mulces pectoris aestuantis ignes !
 4 Sic sentis male de tuo Secundo,
 5 ut deponere candidos amores
 6 tutis auribus illius recuses ?
 7 Non per me venient in ora vulgi
 8 tuae deliciae, tui lepores.
 9 Nobis est satis in joco, atque vino,
 10 salsis fallere taedium cachinnis,
 11 ut mos est hominum venustiorum.
 12 Ardes, ah, nimis inpotenter ardes,
 13 imis sensibus, intimis medullis.
 14 Quare aut hendecasyllabis, Georgi,
 15 aut blandis elegis, tui calor
 16 reddas participem tuum sodalem.
 17 Nam sedant animum, nec erubescunt,
 18 et saevos numeri levant dolores.

AD HILARIUM CANTIUNCULAM,

C1_27 v.1 Albo candidior poeta Cycno,
 2 cantiuncula, qui tui sodalis
 3 haeres interioribus medullis.
 4 Dum nos Euganei fovent recessus,
 5 hic lentis ubi flexuosus undis
 6 pulchram Medoacus fluit per urbem,
 7 tu qui flosculus es novem Sororum,
 8 quid rerum geris ? Adjicisne totum
 9 ad leges animum severiores ?
 10 Et si quando onus hoc reponis, ecquid
 11 florenti canis otiosus aevo
 12 dulci carmina melle dulciora,
 13 et blandis salibus, facetiisque
 14 fallis tempora, tempora ista nostra
 15 amarissimo amariora felle ?
 16 Sic est : nam lepidum tuum libellum
 17 perlegi, ingeniumque copiamque
 18 sum miratus, amabilemque Musae
 19 pudorem, veteremque disciplinam ;
 20 sic Calvum puto, Memmiumque, et ipsum,
 21 quem tu plus oculis amas, Catullum,
 22 cultis versiculis et expolitis
 23 urgentes animi levasse curas.
 24 Ergo nunc Aganippides puellae
 25 pro dulci tibi carmine et venusto
 26 immortalibus educant in hortis
 27 lauros atque hederas recentiores ?

AD H. STHENIUM.

C1_28 v.1 Semper amo, Stheni, quoniam volo semper amari,
2 mutuus est casti fructus amoris amor.

AD JOHANNEM GULIELMUM DUCEM SAXONIAE.

C1_29 v.1 Inclyte Dux, magni qui nomen utrumque parentis
2 laudatique refers nobile nomen avi.
3 Quae tibi pro meritis pietasque fidesque rependent
4 praemia ? Quo Musae te satis ore canent ?
5 Nam nec avo, nec patre minor, super aethera mentem
6 erigis, ac celsa tendis in astra via.
7 Vive diu, placidamque trahens cum conjuge vitam
8 perge sequi proavos, Dux generose, tuos.

AD MARCUM ERIDANUM, IN DIE NATALI SUO.

C1_30 v.1 Dicamus bona, Marce, verba, surgit
2 haec sollemnis ab orbe lux Eoo,
3 natalis meus ! I puer, recentes
4 nectas ex hedera mihi corollas,
5 quando non violas decentiores
6 tellus jam parit horrido Novembri.
7 Dic festum lyra carmen. Ire duri
8 morsus exsilii procul, Deumque
9 votis, mens pia, dum piis rogamus,
10 curis tristibus expedita gaude.
11 Pax arvis redeat, quiesque ruri,
12 et nobis, Pater, hoste da repulso
13 ad caros reditum lares, precamur.
14 O qua murmure parvulus strepenti,
15 per natalia serpis arva, Cynthi,
16 cujus de fluvialibus salictis
17 in ripas cadit umbra, proximusque
18 flores educat humor, aura mulcet !
19 Quando rursus in herbido recessu,
20 defunctus rigidi labore belli,
21 noti margine fluminis quiescam,
22 cantans versiculos, vidensque tecto
23 fumum dum salit ater ex avito !
24 Eheu quod procul hic malis ab oris
25 inter classica, frigus, et Boreo
26 ventorum rabiem fero sub axe.
27 Non tempus genitale sic abiret,
28 dulces inter amiculos, Secundo.
29 Sed cantus mihi, sed lyrae, jocosi
30 inter munera Liberi, sonarent,
31 dum natale diem referret astrum.

AD MARTINUM SEYDEMANNUM, DE NATALI ILLIUS.

C1_31 v.1 Et vino, et fidibus, tuo sacratam
2 Martino juvat hanc, amice, tecum

3 lucem ducere. Nunc decebit haustus
 4 Bacchi sumere. Paululum severos
 5 vultus exsue : nunc malas in oras
 6 mordaces procul hinc abite curae.
 7 Maestae sollicitudines valet,
 8 vitae pernicies ! Venite, adeste
 9 lusus, deliciaeque, Gratiaequae,
 10 et tu, care puellularum ocelle,
 11 amabo, teneros meo sodali,
 12 dum lucem bonus annum frequentat,
 13 crines cinge virentibus corollis !
 14 Quid cessas, puer ? I, frequentiores
 15 adpone, et cyathos capaciores,
 16 cras rorantia rursus, et minuta
 17 imple pocula : quid moraris ? Ohe.
 18 Dic mittant epulas foci calentes
 19 in lauta jecur anseris puella,
 20 et circum volucres minutiores.
 21 Sed quando pateras manus supinant,
 22 (ut mos est vetus) invicem faventes,
 23 adsis tristitiae pater levamen,
 24 adsis laetitiae dator jocosae,
 25 Martine, huc ades, altiore voce
 26 omnes, huc aditum feras, canamus !
 27 Sic lucem peragemus ebriosam,
 28 sic noctem pariter licentiosam,
 29 dum Lunam fuget igneus rubentem
 30 sol, pulsus retogens diem tenebris.

DE URBE MAGDEBURGENSI.

C1_32 v.1 Leucoreae Phoebus cum moenia linqueret urbis,
 2 doctaque Pierias turba secuta Deas,
 3 urbs vetus exceptit belli terrore fugatas
 4 fluminis in ripa qua jacet, Albi, tui.
 5 Hic ubi Rolandi gladium stat habentis imago,
 6 et sedet in niveo conditor urbis equo.
 7 Ergo quod exsulibus mitis fuit illa Camenis,
 8 et placidas sedes, hospitiumque dedit.
 9 Dives opum semper tranquilla pace fruatur,
 10 et requiem, Musis quam tulit, ipsa ferat.

EPITAPHIUM GERTRUDIS CONJUGIS JACOBI MICYLLI.

C1_33 v.1 Uxor in hoc tumulo Gertrudis humata Micylli,
 2 ante diem saeva morte soluta, jacet.
 3 Juncta viro geminos cum lustris quattuor annos
 4 egerat, undecies factaque mater erat.
 5 Quando suae numerans octo quinquennia vitae
 6 pignora, maerentem destituitque virum.
 7 Ille peregrino posuit sub caespite corpus,
 8 manibus et solvit carmine justa pio.
 9 Radit ubi laeto vestitos palmite colles,
 10 vitibus in ripa cinctus utraque, Nicer.
 11 Thracius Eurydicen sic Orpheus flevit ademptam,
 12 hic gemitus vidui turturis esse solet.

13 Sis felix, tellusque levis tua contegat ossa,
14 umbra, beatorum sede recepta, vale.

JOHANNI WALTZBERGERO.

C1_34 v.1 Ibis turrigeram procul Viennam,
2 ibis, dulce novem decus Sororum,
3 quo natalia gloriantur arva,
4 Waltzbergere ; nec amplius licebit
5 tecum lauriferis vacare Musis :
6 nec ramis viridi sub ilice hic jam,
7 ut nuper, dabitur meridiari.
8 I faustis avibus, binominisque
9 sospes Danubii revise ripas,
10 laetis vitibus obsitas et herbis.
11 Te per tot rigidasque nationes
12 cautus crede periculis viarum.
13 Vicinas ego balneas Bohemis
14 in silvisque, tui memor, jugosis,
15 quae nullo pretiosa sunt metallo,
16 lustrabo loca, me vel eloquenti
17 Chytraeo comitante, vel Colero.
18 Donec Phyllyrio potitus arcu
19 declives agat horridus jugales,
20 hiberno properans ab axe Phoebus.
21 Pax post proelia, post gelu calores,
22 post longum requies iter peractum
23 jucundissima ! Sic laboriosum
24 alterna vice temperemus aevum,
25 et, quodcumque jubet dies, feramus :
26 dum vitam Deus anxiam reposcat.

AD MATTHIAM STOJUM ET CASPAREM CRUCIGERUM.

C1_35 v.1 Tempus adest iterum, quo pendula noctibus aequos
2 libra facit, musto dum tumet uva, dies.
3 Nunc juvat hac, paucis comitantibus, urbe relicta
4 oppida sub gelido visere clara polo.
5 Ergo, decus Charitum, Stoi, tuque optime Caspar,
6 fida sodalicii membra valete mei.
7 Tu quoque quam possum non cernere luce suprema,
8 inque salutatam linquo, puella, vale !
9 Non tamen hinc totus, vobis remanentibus, ibo,
10 corpore semotus, mente propinquus ero.
11 Non vitale mihi, sine vobis, lumen, amici,
12 dulce, nec abrupto nectar amore, foret.
13 Ite citi currus, juncti properate jugales,
14 spes reditus abitum non sinit esse gravem.
15 Jamque valete iterum, tuque, o mea Claudia, salve,
16 mutuaque absentis sit tibi cura mei.

AUCTOR IPSE SUB EFFIGIE SUA CUM IN GALLIAS ABIRET, ANNO MDXLIX.

C1_36 v.1 Talis adhuc juvenis Lotichius, adderet annis
2 bis duo cum natus lustra duobus, erat.

3 Ira brevis, moderatus amor, patientia victrix,
4 invidia pectus, carmina felle carent.

AD BONONIAM, ITALIAE CIVITATEM.

C1_37 v.1 Musis amica, dedicata Gratiis,
2 flos urbium, Bononia !
3 Seu culta mavis nuncupari Felsina,
4 utroque pulchra nomine.
5 Salve o venusta civitas, quam vitreo
6 Rhenus pererrat agmine.
7 Jam quinta lux est, cum beatis moenibus
8 pedem coactus extuli :
9 Marium meum, Glauburgiumque candidum,
10 laeva secutus alite.
11 Mutinamque vidi, et Rhegium, et ferocium
12 Parmam virorum patriam.
13 Ut cervus, ampla cum perambulat juga,
14 dum saevit aestus impotens :
15 suspirat uda rivulis cubilia
16 reconditarum vallium.
17 Sic te, misellus heu viator, intimo
18 desideravi pectore :
19 dies amara, nox amarior fuit,
20 nox duri amoris conscia.
21 At nunc recurro, spes et, o quies mea,
22 fessus medullis omnibus.
23 Testor Deorum numen immortalium,
24 jubarque Solis aureum,
25 non laetior carissimam reviserem
26 post lustra quinque patriam.
27 Vix cerno turres, incipitque maximo
28 cor exsilire gaudio.
29 Animus liquescit, uberesque lacrimas
30 dulcis voluptas exprimit.
31 I sparge flores, i , meas, puer, tege
32 molli fores amaraco.
33 Quid otiosa murmuras vicinia ?
34 Non scire fas est omnia.
35 Salve, o venusta ter quaterque Felsina,
36 et incolas tuos bea !

AD MARCUM LUDOVICUM ZIGLERUM, JURISCONS.

C1_38 v.1 Ziglere optime, tantum amate nobis,
2 quantum nullus amabitur, nec umquam
3 ullus unanimes suo sodali
4 tantum dicere se potest amatum.
5 Quid rerum geris ? An bene, ac beate
6 istic vivitis, et valetis omnes ?
7 Ut durum pelagi tulit laborem
8 Studaeus meus ? An Bononienses
9 praefert fluctibus Adriae recessus ?
10 O dulces mihi ter quaterque luces,
11 quas hic, dum Superum tulit voluntas,
12 una duximus, uno amore juncti,

13 atque uno hospitio, et cubiculo uno.
 14 Nunc illi nivei occidere Soles,
 15 nec Studaeus adest, meusve Marcus,
 16 nec Glauburgius, hinc profectus idem
 17 usque ad millia passuum trecenta :
 18 dum Lambrum, Trebiamque, et inquietam
 19 invisit Genuam, Esarique ripas.
 20 Quare, si quid amas tuum Secundum,
 21 quamprimum redeas, ferasque tecum
 22 novas delicias, novos lepores :
 23 et tecum veteres meos sodales,
 24 Ortolphum simul, Hagiumque ducas.
 25 O lucem hanc ter et amplius beatam !

P. LOTICHII SECUNDI CARMINUM LIBER SECUNDUS.

(563 vers)

IN EFFIGIEM MILITUM GERMANORUM.

C2_1 v.1 Pudor Deorum, opprobriumque saeculi,
 2 pestis, luesque militaris ordinis,
 3 qui perciti furore mentis ebriae,
 4 licentiaque perditorum temporum,
 5 abominandis involuti vestibus,
 6 fas omne rumpunt, eruunt Rem publicam.
 7 Hei dira imago, hei barbarum spectaculum !

IN DAPHNIM ECLOGAM ADAMI GELPHII.

C2_2 v.1 Cum nuper altas aetheris scandens domos,
 2 praestans canendi gloria,
 3 terras Micyllus, has senex relinqueret,
 4 vocante rege Caelitum,
 5 Nicer misellus vallium sub intimis
 6 reconditus cubilibus
 7 lugebat, et reflagitans vatem suum
 8 maesto fluebat alveo :
 9 flevere fontes limpidi, sub herbidis
 10 scaturientes montibus,
 11 et antra sacri destituta carminis
 12 amabili solacio.
 13 Ubi remotus urbis a frequentia

14 ter optimum, ter maximum
 15 deum canebat, et vagos micantium
 16 cursus vicesque siderum.
 17 Sed nunc quid hoc Nicer ? Quid accidit novi ?
 18 Quid est ocelle fluminum ?
 19 Unde haec repente (vos referte Naiades)
 20 doloris intermissio ?
 21 Inusitatis undiquaque personant
 22 montes, ut ante, cantibus.
 23 Amnemque dulci carminis mulcet sono
 24 novus poetarum chorus.
 25 Sic est : sepulti ex ossibus regerminant
 26 tot surculi lectissimi.
 27 Qui nunc sub umbris arborum comantium
 28 molli fruuntur otio.
 29 Daphnimque Divis addit immortalibus
 30 conviva Phoebi Gelphius.
 31 Daphnim loquetur omnis aetas postera :
 32 o Daphni sidus aureum !
 33 Quanta per auras influit dulcedine,
 34 animumque Musa surripit ?
 35 Nicer beate, nunc virente pampino
 36 praecincta tolle cornua,
 37 meumque Gelphium, et cohortem aequalium
 38 viridi corona laurea.
 39 Albim tamen ne provoces, nec Bregelam,
 40 Viadrumve, nec flavum Salam.

AD LAUROS IN HORTIS SUBURBANIS.

C2_3 v.1 Lauri, quae rapidos arcetis vallibus aestus,
 2 tuque susurranti fons nemoralis aqua :
 3 vos lauri salvete mihi, salve optima rerum
 4 avia frondosis lymphæ sub arboribus.
 5 Hic ego, dum licuit, curas lenire solebam,
 6 qua strepit e gelidis unda voluta jugis,
 7 hic meus argutas cecinit venator ad auras,
 8 dum fleret maestis Sarmidem harundinibus.
 9 O sopor, o blandæ volucres, o gramen, et herba,
 10 quam fuit hic animo vivere dulce meo !
 11 Nunc me dilectis avellere cogor ab hortis,
 12 nec mihi saeva dabunt fata referre pedem.
 13 Este mei memores lauri, vosque antra valetate,
 14 et fons, et Musis vallis amata vale.

AD MARTINUM STIBARUM. IN NATALEM SALVATORIS.

C2_4 v.1 Quo te carmine, qua Lyra,
 2 natali procul a solo
 3 Rex sanctissime caelitum
 4 festo tempore concinam,
 5 mundi, Christe redemptor ?
 6 Ergo hunc, alme puer, diem
 7 sic ducemus in ultimi
 8 solitudine litoris
 9 quo tu natus es, induens

10 humanos Deus artus ?
 11 Quod possum tamen, et fretum
 12 et Sol aethera metiens,
 13 surgens audiet, et cadens,
 14 nos plausus dare, nos tuae
 15 matris dicere partum.
 16 Martine, incipe, nam Dei
 17 haec aetatula filio
 18 est gratissima, flos tener,
 19 flos ortus tener est, cane,
 20 e propagine Iesse.
 21 O dulcissima veritas,
 22 tu nos aspice, tu reple
 23 dulci pectora gaudio :
 24 et bellum, et lacrimabiles
 25 cum fame opprime morbos.

AD GREGORIUM SCHEUM.

C2_5 v.1 Dum nos omnibus exules in oris
 2 fidi erramus amiculi nec ullo
 3 sub caelo requiescimus, molesta
 4 (eheu), Schete, senectus appropinquat ;
 5 et languescit, ut icta sole myrtus,
 6 blandae flosculus elegans juventae.
 7 Vivamus semel, otiumque ruris
 8 gustemus : patula sedens in umbrae
 9 mecum tegmine sub virentis ulmi
 10 caeli carpe salubrioris haustus.
 11 Mox armis fera bella luctuosis
 12 hinc vos lauriferis agent ab hortis
 13 trans pigras maris ultimi paludes.
 14 Istas nunc cithara, et joco, atque vino,
 15 curas elue : sic laboriosum
 16 alterna vice temperemus aevum,
 17 dum longam properet dies quietem.

DE JOANNE FRANCISCO RIPENSI.

C2_6 v.1 Laure Palatini quae consita principis horto,
 2 ad Nicri liquidas innuba surgis aquas :
 3 cresce precor, non tu rigido violabere ferro,
 4 non in fumosos ibis adusta focos.
 5 Aonio cinges juvenilia tempora vati,
 6 aeternum servans fronde virente decus.
 7 Hunc meus ingenio meruit Franciscus honorem,
 8 nobilius per quem Dania nomen habet.

AD JULIUM MICYLLUM IN NATALEM CHRISTI.

C2_7 v.1 En pulcher tenebras fugans
 2 sol lucem vehit annuam,
 3 qua virgo peperit Deum,
 4 praegnans Flamine sancto.
 5 Juli sume patris lyram,

6 Et Jesu puero puer
 7 intactaeque puerperae
 8 dulces incipe cantus.
 9 Nobis paupere sub casa
 10 aeterni suboles Patris
 11 Christus virginis innubae
 12 casta prodit ab alvo.
 13 Expers labis enim parens
 14 verbo fit gravis igneo,
 15 quam caelestibus integram
 16 afflat Spiritus auris.
 17 Agnoscit pecus, et gregis
 18 custodes Dominum, quibus
 19 Christum nuntiat angelus
 20 ad praesepe jacentem.
 21 "En Jesseius enitet
 22 lato gramine flosculus,
 23 matutina velut micat
 24 caelo stella sereno.
 25 Halans qualis amaracus,
 26 dulcis quam liquor irrigat,
 27 cultos mane per hortulos
 28 auras mulcet odore.
 29 O quae praevia regibus
 30 fulsit dona ferentibus
 31 felix stella : ubi par ei
 32 aut jucundior ignis ?
 33 Te nunc, Emmanuel precor,
 34 te splendor rogo gloriae,
 35 qui de lumine lumen es
 36 summi patris imago.
 37 Sic placabilis et bonus
 38 nobis luce novissima.
 39 Aeternus sit honor tibi
 40 trinum numen et unum.

IN PENTECOSTEN. AD CHRISTIANUM LOTICHIUM FRA.

C2_8 v.1 Da frater mihi, Christiane, plectrum,
 2 templis da citharam sacris amicam :
 3 lux sollemnis agatur haec quotannis,
 4 qua firmans Deus, erigensque sancto
 5 olim pectora spiritu suorum
 6 auris omnipotentibus superne
 7 afflavit : precibus, piisque votis
 8 hanc lucem celebremus. O superni
 9 patris fervida, filiique flamma,
 10 fac nos, cuncta movens vigor, nefandi
 11 puros criminis, integrosque vitae,
 12 blando corda revinciens amore.
 13 Da solaciolum, tuique curis
 14 dulci numinis expeditus haustu
 15 sanctis totus ab ignibus liquescam.
 16 O fax certa precumque, gratiaeque,
 17 constans pax animi, quiesque rerum !
 18 Dum nos lubrica fluctibus tot aetas
 19 incertos agit, et graves procellae,

20 tu castae arbiter institutionis
21 flammis pectora tempora pudicis.

AD GEORGIUM SABINUM, BRANDEBURGENSEM.

C2_9 v.1 Immortale decus, Sabine, vatum,
2 qui nunc ad vada Bregelae vetustos
3 doctis artibus imbuis Borussos,
4 an feliciter es domum reversus ?
5 Hinc cum sarcinulis tuis venustis,
6 Musarum simulatque liberorum,
7 ut spero, auspicio bono profectus ?
8 Ad flavum tuus Oderam Secundus
9 jucundae memor allocutionis
10 sinceraeque benignitatis : optat
11 nunc et Pegaseos sibi volatus,
12 et desiderat omnibus diebus
13 dilectos iterum videre vultus.
14 Sed nunc aera forte pestilentem
15 vitans, grex subito novem sororum
16 tecum praecipiti fuga recessit,
17 urbes Bregela qua duas ab una
18 pulchro separat alveo, facitque
19 cursus inter utramque flexuosus.
20 Hic (nam tristia multa nuntiantur)
21 hei, quantum mihi fecit audienti
22 imis rumor in ossibus dolorem.
23 At quocumque sub axe vivis, oro
24 sis nostri memor, anxiosque luctus
25 dulci progenie, tuisque leni
26 curas diminuentibus libellis,
27 dum soles redeant sereniores.

INFERIAE AD TUMULUM MATERNI STEINDORFFER IN URBE HIERAE.

C2_10 v.1 Hoc tumulo, Materne, jaces, hic corporis artus,
2 hic tua post obitus contegit ossa lapis.
3 Has lacrimas gratae pro consuetudinis usu,
4 haec cape de lacrimis sarta rigata meis.
5 Suavior hic nullus mihi vixit : in otia Phoebi,
6 in sacra Pieridum mollia natus eras.
7 Cognita quid memorem duri certamina Martis ?
8 Hei mihi, quod nullas mors timet atra manus.
9 Hic igitur, Materne, jaces ? Heu fertile pectus,
10 ingeniumque sagax, et sine labe fides.
11 Spiritus aethereas colit, unde recesserat, arces,
12 jamque odio, caeci quicquid amamus, habet.
13 Ossa cubent tumulo feliciter, ultima donec
14 nos iterum jungat, quod precor, hora duos.

M. ROSA AD FLORES MELISSAE.

C2_11 v.1 Sol lucis auctor occidit, fugit dies,
2 sol fundit alter aureum mihi jubar,
3 Melissa, dum liquoribus rosarium

4 irrorat, Hespero micante pulchrior,
 5 Melissa saucians mihi cor intimum.
 6 Haec cum sororibus sub hoc crepusculum
 7 flores calore languidos aquis rigat,
 8 et limpido imbre tingit. O ter, et quater
 9 beata amarace, o beata lilia !
 10 Vos illa mulcet aridam levans sitim.
 11 Vos roris has refrigerantis undulas,
 12 meum sed ebibit puella sanguinem,
 13 o si liceret, ipse lacrimis meis,
 14 Vos irrigarem ! Vos decus resumitis,
 15 vobis honor redit, sed ipse languet,
 16 et sicut herbulae liquoris insciae
 17 aresco semimortuus : tamen foret
 18 nec mors acerba, si Melissa paululum
 19 dulci meum cor irrigaret osculo,
 20 incendium levans. Sed hei, quid (hei) querar ?
 21 Sol, dum loquor, repente noster occidit,
 22 jam lux recedit, ingruique nox gravis.
 23 Vale Melissa, cordis unicum mei
 24 levamen : o Rosae, o valete lilia.

AD MATTHIAM STOIUM REGIOMONTANUM.

C2_12 v.1 Rumor ait, Stoi, tenera me Lotide captum,
 2 sed negat indicio Claudia nostra fidem
 3 deque mea narrat probitate, rogataque causam,
 4 ex animo, dicit, colligo fida meo.
 5 Rarus amor certe : sed dic quid, amice, rependam ?
 6 Sit pretium fidei non dubitata fides.

IN DEFECTUM LUNAE.

C2_13 v.1 Sunt aliquid cladis praenuntia signa futurae,
 2 exitus assiduis comprobat illa malis.
 3 Nec frustra monuere graves instare tumultus
 4 eventu toties sidera nacta fidem.
 5 Nunc quoque, quod patriae faustum sit, et utile, caelum
 6 indicat ambiguos non procul esse metus.
 7 "Dic Dea, quae certis labentia motibus astra
 8 aspicias, et causam nominis inde trahis :
 9 quid vult maesta sibi tenebris soror abdita Phoebi,
 10 dum premit in caeli culmine terga Nepae ?"
 11 Eloquar, Uranie respondit : "Scorpius istis,
 12 nescio quem, terret nocte silente minis.
 13 Quo nascente stetit spargens letale venenum
 14 in medio, cauda virus habente, polo.
 15 Cuncta licet verses, et te prope mundus adoret,
 16 quisquis es, incertas disce timere vices."

AD HORTULUM CLAUDIAE.

C2_14 v.1 Salubris hortule, elegans suburbani
 2 ocellae ruris, et cubile nympharum,
 3 qui vere jam tepente saepe jucundos

4 praebes mihi puellulaeque secessus.
 5 Sic nec tibi aura pestilens odoratas
 6 laedat rosas, nec alba Caurus invisis
 7 flabris adurat lilia, et novos rores
 8 ministret usque Memnonis nigri mater :
 9 mei, precor, jocos amoris occulta,
 10 dum te vel in dies misellus invisio,
 11 in herbulisque cum meo igne confido,
 12 ubi latus rivi premunt susurrantes,
 13 eduntque motis sibilum comis aerae.
 14 Ibi illa multa delicata cum fiunt,
 15 tu cernis, hortule, et vides coronatam
 16 meam puellam, paululum reclinatam
 17 mecum jacere somnulo velut leni
 18 victam meum dum mollibus caput sertis
 19 revincit, et reflagitans in amplexus
 20 serpit venuste, suaviusque blanditur.
 21 Ocellulos tunc vibrat usque ridentes,
 22 meosque ludibunda vexat ardores,
 23 et basia uda millies columbatim
 24 figit rogata, spiritumque transfundit
 25 in cor meum : hinc amore membra tabescunt,
 26 halans amaracus velut pruinosus
 27 cum tacta flatibus repente marcescit.
 28 Haec dulcis hortule, ut rogamus, occulta,
 29 ne caprimulgi filia illa vicini
 30 sentire possit, illa quam probe nosti
 31 ad hoc salictum clam latere prostratam,
 32 captare si quas auribus queat voces,
 33 ut deferat per orbis angulos omnes.
 34 Et hinc meorum me sodalium coetus
 35 vexant, quod assis aestimamus, a risu
 36 si temperarent pessimi poetarum.
 37 Qui saepe ceu vagi novos legunt flores,
 38 cum vix anethum, malvam, et allium norint,
 39 in hortulos solent venire per causam
 40 venis tumentibus, velut nigra in silva
 41 ad buculam ruit maritus armenti.
 42 Hos tu procul fuga, et patens mihi soli
 43 mei jocos amoris hortule occulta,
 44 ocelle ruris elegans suburbani.

AD SIDUS BORUSSIANUM, SUAVISSIMUM SODALEM SUUM.

C2_15 v.1 O Sidus, quid adhuc tuos amores
 2 semimortuus, et fere peresus
 3 curis, quid retices tuo Secundo ?
 4 Nam simplex, scio, candidae puellae
 5 urit te pudor, impotensque vivum
 6 exugit tibi sanguinem misello
 7 imis ardor inaestuans medullis.
 8 Nec caros latet improbus sodales
 9 venis haustus amor siticulis,
 10 sed flammam dolor arguit, colorque,
 11 insuetumque silentium, feroces.
 12 Frons porrectior ante, nec per herbas
 13 sordebant tibi floridi recessus,

14 nec convivias, nec tui libelli.
 15 At nunc illepidus repente vivis,
 16 festinans trepidus modo huc modo illuc,
 17 et voces leviter proterviores,
 18 et furtim numeros procaciores,
 19 Mellilamque sonas, Rosunculamque,
 20 et quicquid miseri sciunt amantes,
 21 mulsum, delicias, amoenitates.
 22 Vidi et cum roseas manu papillas
 23 velles tangere per jocum, sed arcte
 24 obsaepus fuit hortulus. Quid udas
 25 dicam, proh dolor, osculationes ?
 26 Et morsus, et anhelitus frequentes,
 27 nil abradere dum potes, premisque,
 28 et pulchris inhias gemens ocellis,
 29 nec mentem satias, nec ima sentis
 30 labi tabidulam per ossa mortem.
 31 Quare, dum licet, es mihi monendus,
 32 o Sidus : nova dum recensque flamma est,
 33 ignes excutias ut invenustos,
 34 tectum nec tibi blandiens venenum
 35 assuetudine nutrias et usu.
 36 Victor sic eris, aut diu dolebis.

INFERIAE AD TUMULUM ULRICHI HUTTENI.

C2_16 v.1 Adloquor Hutteni manes, cineresque poetae,
 2 quos brevis in mediis insula claudit aquis.
 3 Este salutati manes, haec summa laborum est,
 4 alma quies vobis sit, nec arena gravis.
 5 Accipe cum violis lacrimas, tibi fundimus illas,
 6 morte tua felix maxime nuper eques.
 7 Felix morte tua, patriae non fata ruentis,
 8 cujus eras vindex, non tot acerba vides.
 9 Patria post obitus tibi contigit altera caelum,
 10 major et in cunctos fit tua fama dies.
 11 Fortunate cinis, venerande nepotibus ipsis,
 12 aeternum salve, perpetuumque vale.

AD JOANNEM HAGIUM FRANCUM.

C2_17 v.1 Hagi, fugit hiems, novosque tellus
 2 leni feta parit tepore flores :
 3 quos per rura Favonius benignis
 4 mulcet flatibus irrigantque rivi.
 5 Ergo mollibus ecquid in viretis,
 6 orto sole cubiculum relinquens,
 7 laetos per juga flosculos, et udis
 8 felices legis herbulas in hortis ?
 9 Et quoscumque ad opem rosas medendi
 10 tellus educat utiles sub Arcto ?
 11 Sic, Hagi, breve ver agas, sed aestas
 12 postquam transierit, Vesontionem
 13 antiquam venias, ut ante brumam
 14 ad flavas Ligeris volemus undas ;
 15 aut, si fert ita Caelitum voluntas,

16 ad montis juga laeta Pessulani.
 17 Nunc solus gelida sedens in umbra
 18 ad rupes Dubii, recordor actae
 19 vobiscum rigido sub axe vitae,
 20 o desiderium meum sodales,
 21 omni tempore quotquot estis omnes,
 22 quos junxit mihi dulcis eruditae
 23 consuetudinis usus, et recessus
 24 cultrices Heliconii, Cnidique
 25 lucos diva colens harundinosae.
 26 Absentis quoque vos mei sodales
 27 conservate memoriam Secundi,
 28 qui vos diligit, atque amare porro
 29 omnes, ut prius, est paratus annos.

AD SUSPIRIA ET LACRIMAS.

C2_18 v.1 O praesaga mei semper suspiria luctus !
 2 O gemitus maesti flebile cordis opus !
 3 Quid toties aeger de pectore spiritus imo
 4 surgit, et inviti saepe madent oculi ?
 5 Cura nec optatos sinit anceps ducere somnos,
 6 omnia dum media lassa quiete jacent ?
 7 Non mihi jam veteres (semel insanivimus) ignes
 8 versat in accensis ossibus acer amor.
 9 Quid tamen est, praesaga mali quod pectora maerent,
 10 quod gemo, quod causa saepe latente fleo ?
 11 Tristia venturos cognosco per omina luctus.
 12 O anime infelix non potes esse diu !
 13 Nil praeter lacrimas haec et suspiria vita est,
 14 quae si fine bono clauditur acta, sat est.

D.M. JACOBI MARI.

GERMANI PIETATIS ET INGENII LAUDIBUS INSIGNIS AMICI INCOMPARABILIS.

C2_19 v.1 Haec tibi, fide Mari, posui monumenta Secundus,
 2 extremum sanctae pignus amicitiae.
 3 Quandoquidem procul a patria florentibus annis
 4 funere te saevo mersit acerba dies.
 5 Ossa jacent tumulo, victuri gloria restat
 6 nominis : ad superos mens pia fecit iter.
 7 Salve pars animae nuper dulcissima nostrae.
 8 Gaude, et perpetuum rursus ave, atque vale.

EPITAPHIUM HENRICI STIBARI, EQUITIS FRANCI.

C2_20 v.1 Hoc tibi Pierides statuunt, me vate, sepulcrum,
 2 causa recens luctus, care Stibare, mei.
 3 Vixisti mecum juvenis, concorsque voluntas,
 4 laedere quam potuit nulla querela, fuit.
 5 Tu mihi debueras naturae lege superstes
 6 solvere, quae cineri munera solvo tuo.
 7 Nos Arar et Ligeris, nos Sequana vidit, et ingens
 8 hospitio Rhodanus fovit utrumque suo.
 9 Vidit et ad Laedi ripas praerupta Pyrene,

10 qua tumidum praeceps in mare fertur Atax.
 11 Integer, innocuus, pius, utilis omnibus aequae,
 12 ingenii variis dotibus auctus eras.
 13 Nunc memor obsequii dulcis veterumque laborum,
 14 ante tuos raptum te queror esse dies.
 15 Hoc saltem extremum nostri tibi pignus amoris
 16 accipe, et aeternum dulcis alumne vale.

IN VIVAM IMAGINEM CASPARIS CRUCIGERI.

C2_21 v.1 Ore tribusque potens linguis et pectore Caspar,
 2 talis, adhuc vita cum frueretur, erat.
 3 Caspar, ovile Dei qui rexit, vimque luporum
 4 reppulit, et juvit religionis opus.
 5 Lustra sui nondum bis quinque peregerat aevi,
 6 funere sublatus cum fuit ante diem.
 7 Lucida nunc coram, caelesti sede receptus,
 8 quae prius ingenium calluit, astra videt.

SIGFRIDI HETTENI GRONINGI, ET ELISABETHAE JOANNIS LOTICHII FILIAE.

ANNO 1544 IDUUM DECEMB.

C2_22A v.1 Sacrae progenies Jovis Camenae,
 2 quae silvas colitis beatiores,
 3 aut Pindi nemora, aut opaca Tempe,
 4 doctae numina vatibus puellae,
 5 quae fontes bibitis salubriores,
 6 largi Phocidis et virentis Haemi :
 7 nostrum Castalides decus sorores,
 8 quae sponsas decoratis integellas,
 9 quae sponsos canitis nec invenustos ;
 10 huc o auspicio bono venite,
 11 dum sponsam decoramus, et decentem,
 12 dum sponsum canimus, sed expolitum
 13 vita, religione, moribusque.
 14 Omnes huc Charites, quot estis omnes,
 15 tuque o, sive tuam colis Cytheron,
 16 seu blandum Idalium, sacramque Cyprum,
 17 et lucos Erycis, Paphum calentem,
 18 seu Martem Geticas Venus per oras
 19 ad ditem sequerisve mater Hebrum,
 20 Dum flammis Liparem fugis perustam.
 21 Et tu diva Sami potens marinae,
 22 sic numquam tuus ille sentiat Rex,
 23 ut quondam, pueri trucis pharetram,
 24 terrarum domitor, pater deorum,
 25 nolit servitium pati superbum,
 26 adfer dextra faces precor maritas.
 27 Taedas adfer io Hymen jugales.
 28 En quis ille chorus puellularum ?
 29 En primam, en et amabilem Thaliam,
 30 Junonem, Charites, Gnidi potentem.
 31 Salvete Idalii deae, Samique

32 reginae, Charites, piae sorores.
 33 Quam Cypris niveo renidet ore ?
 34 Nigris luminibus, capillulisque ?
 35 Quid me fulgidulis tuens ocellis
 36 Cypris inspicit et canit ? Canenti
 37 Nymphae adsurgite et adsonate ripae.

VENUS.

C2_22B v.1 Advocor, et merito, castorum mater amorum.
 2 Hoc duce me sacrum perficietur opus.
 3 Conjugio totum quae tempero nobilis orbem ;
 4 numinis in multis haec quoque cura mei est.
 5 Unica cunctarum primum confusio rerum,
 6 donec id in partes omne recessit, erat.
 7 Hic caelo terras, terris Deus addidit undas,
 8 proximus aligeras suscipit aether aves.
 9 Aera de summo secreverat aequus Olympo,
 10 cinxerat inclusam, qua patet, aequor humum.
 11 Sidera fulgebant, campi rude gramen alebant,
 12 jamque ferae silvas, piscis habebat aquas.
 13 Sub Jove gens hominum desertis ibat in agris,
 14 ducebat comites nava juvena canes.
 15 Cum pharetra solito pendebant retia collo,
 16 ille mei pueri notior arcus erat.
 17 Aurea Chaonio peragebant tempora fructu :
 18 praebat medium caespes et herba torum.
 19 Moenia tum fossis et cingas moenibus urbes
 20 me duce mollita composuere manu.
 21 Regia legitimae venit reverentia taedae,
 22 turba sub officiis hinc agit illa meis.
 23 Advocor et venio cesto succincta potenti,
 24 ille meas artes insidiator habet.
 25 Edite mansuetam placida Cythereide vitam,
 26 ducat et hic fatis, nubat et illa bonis.

JUNO.

C2_22C v.1 Quid te Diva potens Cypri
 2 solam praecipuis tollis honoribus ?
 3 Et me nupta colit nova
 4 gratis turiferi muneribus soli.
 5 Et comptas religat comas,
 6 et vernis meritam spargit odoribus.
 7 Felix auspiciis meis,
 8 adsum legitimis pronuba gaudiis.
 9 Aptata numeris manu
 10 laudor nobilibus carmine vatibus.
 11 Quam Titan roseus nitet !
 12 En fulget melius, purior et dies
 13 illis me duce nuptiis,
 14 aequae lanificae sunt et erunt Deae.
 15 Felices ter et o quater,
 16 quos jungit placido copula foedere.
 17 Non ullis querimoniis
 18 Suprema veniet dissidium die.

GRATIAE.

C2_22D v.1 Audiatur gratas Veneri ministras,
 2 Gratias, puris genitor sub undis
 3 Cynthus, ripae faveant canorae,
 4 antra resultent.
 5 Prosperi felix thalami sit omen,
 6 candida tutis mediocritate,
 7 sint sacrae leges, maneatque longos
 8 foedus in annos.
 9 Hic dies vere bonus, i benigno
 10 sidere illustris, redeasque fausto,
 11 lux favens natisque nepotibusque
 12 laeta futuris.

HYMEN.

C2_22E v.1 Jungo meo castos et solvo potenter amantes
 2 numine dexter Hymen.
 3 Vos ego conjungo, seris mors solvet in annis,
 4 numinis arbitrio.
 5 Illa semel Stygium quae frigida ducit ad Orcum,
 6 nempe terenda via est.
 7 Interea placidam sine crimine ducite vitam,
 8 quam dederint Superi.
 9 Tempora praetereunt, et se sugiuntque petuntque
 10 et cito bruma venit.
 11 Vive datis hodie, venient cras altera, fatis.
 12 Talis in orbe rota est.

MUSAE.

C2_22F v.1 Dis eat auspiciibus coeptum et Junone secunda
 2 connubii placido quae foedera numine sancit.
 3 Illa favens oculis videat Saturnius aequis,
 4 Dique Deaque aliae, quaeque aetheris ulla, vel orbis
 5 religio est, pacem aeternam pactosque Hymenaeos
 6 exercete, bonis componite gaudia fatis.
 7 Ah, miserande puer, nigro quem mersit Averno
 8 ante diem nuper gravis inclementia Parcae !
 9 Nunc tuus alter honor geminis cum fratribus esset,
 10 et praedulce decus ; non sic tua fata tulerunt,
 11 injecere manus Superi, succisus aratro
 12 flos tuus in primo marcens puer excidit aevo.
 13 Spargite Pierides tumulum, accumulate sorores
 14 muneribus gelidum (si qua est ea cura) sepulcrum,
 15 te nemus iliceum, patriis te Cynthus undis,
 16 Cynthiades nymphae, doctae flevere Camenae.
 17 Nunc anima Elysio in campo, per amoena vireta
 18 aethereum Paeana canit ; luditque sub umbra
 19 fortunatorum nemorum, carosque nepotes
 20 dinumerat recolens commixtam sanguine prolem
 21 externi generis, cognatum in nomen ituram.
 22 Nos etiam dulcem gratae celebremus honorem,

23 cantemus festas utcumque ornantia taedas.
 24 Haec ita perpetuo jungantur gaudia nexu
 25 connubii, amborum non adversantibus astris.
 26 Venturae memores hiemis, stirpisque futurae,
 27 legibus exigue optatum concordibus aevum.

C2_22G v.1 Jam sat Pieriae sat est puellae,
 2 cultores dominae Saphi Paphique,
 3 reginae Charites, Hymen pudice.
 4 Nunc rursus unde pedem adtulistis, ite,
 5 sacrae progenies Jovis Camenae.

PETRI LOTICHII SECUNDI CARMINUM LIBER TERTIUS.

(959 vers)

I. MARTINO ROSEMANNO.

C3_1 v.1 Nulla serenatum contristant nubila caelum,
 2 mitior et saevum temperat aura gelu :
 3 ergo, sodalities pars o dulcissima nostri,
 4 cum quo praecipue vivere dulce mihi est ;
 5 si te forte juvat studiorum pondere fessum
 6 nunc loca formosi ruris adire, veni.
 7 Gramina quaeremus saevis praesentia morbis,
 8 optima quae matrum gignere terra solet.
 9 Sive libet molli violas decerpere dextra,
 10 quas primo veris tempore fundit humus.
 11 Sive peregrinos ramos ut stipes adoptet,
 12 cernere tam felix insitionis opus.
 13 Inde tui cultos spatiemur ad hospitis hortos,
 14 tu modo sis nostrae duxque comesque viae.
 15 Tu poteris verbis duras mollire puellas,
 16 ut pateat nulla janua clausa sera.
 17 Tu poteris rigidas blandae dulcedine linguae
 18 flectere, tu castis exhilarare jocis.
 19 Si tamen in studiis gravior te cura moratur,
 20 forsitan et mecum non potes ire. Vale.

II. DE ROSEMANNO.

C3_2 v.1 Care verecundis semper, Rosemanne, puellis,
 2 magnaue pars animi delictumque mei.
 3 Si fortasse rogas ignoti nomina vatis,

4 hoc tibi Lotichius mitto Secundus opus.
 5 Fallor ? An impressi cognoscis imagine cordis,
 6 indicat auctoris nomen et ipsa manus ?
 7 Perlege, sic faveat tibi cum genetrice Cupido,
 8 quidque velim, lecto carmine, certus eris.
 9 Lassus eram, pluviis turbantibus aera ventis,
 10 dum gravis adsidua decidit imber aqua.
 11 Cumque dolens Musas inter librosque sederem,
 12 tristitiaequae foret nulla medela meae :
 13 "Vade, puer, dixi, nostrae medicamina curae,
 14 adfer odorati pocula plena meri."
 15 Nec mora, sicut erat jussus, cito munera Bacchi
 16 adtulit, et largis haustibus illa bibi.
 17 Hinc cubito nixus mulcente sopore quievi,
 18 obtulit haec dulcis cum mihi visa quies.
 19 Humida vallis erat, cingentibus undique silvis,
 20 et liquor irriguae gramen alebat aquae.
 21 Lilia surgebant passim, floresque rosaeque,
 22 et locus immunis nullus odoris erat.
 23 Jamque die media veniebat ad arboris umbram,
 24 texeret ut facili sarta puella manu.
 25 Ipse sub arborea spectator fronde latebam,
 26 fronde sub arborea multa canebat avis.
 27 Alma Venus, tenerae quae vultus gratia Nymphae,
 28 lumina quam pulchri sideris instar erant !
 29 Quanta papillarum, quas fascia nulla tegebat,
 30 quanta coronatae gratia frontis erat !
 31 Vestis item duplici fulgens demissa colore,
 32 e quibus hic cineris, sed facis illa fuit.
 33 Illa (recordor enim) tuus optatissimus ardor,
 34 Eva, tui cordis dulce levamen erat.
 35 Cumque diu virides comitante sorore per herbas
 36 carperet admota lilia pulchra manu :
 37 ecce venit juvenis, moderataque basia figens
 38 "Sic, ait, o nostri pectoris, Eva, quies."
 39 Sic ait , et tacuit. Rubor ora notavit utrique,
 40 gratus et in viridi sedit uterque solo.
 41 Cetera vos, quercus, scitis, volucresque canorae,
 42 virgine cum sola quid Rosemannus agat.
 43 Omnia spectabam, sed non tamen omnia dicam,
 44 o teneri lusus, multiplicisque joci !
 45 Murmura quis referat, repetitaque basia saepe ?
 46 Talia spectanti quid mihi mentis erat ?
 47 Non tamen audebam lusus turbare beatos :
 48 nullus amatori verus amator obest.
 49 Illa rosas juveni donabat pignus amoris,
 50 cum mihi discussit dulcia visa puer.
 51 Hanc tibi nunc speciem refero, Martine, quietis,
 52 ut tibi sit mentis cognita cura meae.
 53 Da veniam rudibus numeris, Musaeque jocosae,
 54 haec scribens mecum non satis ipse fui.
 55 Vera, precor, fiant nostri praesagia somni,
 56 ut veri possint pondus habere. Vale.

III. DESCRIPTIO ITINERIS TAPRUNENSIS AD M. ROSEMANNUM.

C3_3 v.1 Rure nihil pejus, nil rure est tristius uno,

2 urbe nihil melius, dulcius urbe nihil :
 3 expertus dico, fidis comitatus amicis
 4 et domina, festo dum peto rura die.
 5 Prima fuit silvas nobis via grata per altas,
 6 illa licet pluviis lubrica facta foret.
 7 Dulcisonos avium cantus haurire juvabat
 8 auribus, et notas carpere saepe rosas.
 9 Inter quas etiam, quae carior omnibus horis
 10 Teutonico pulchre dicitur herba sono ;
 11 munus erat, nostris manibus decerpta, puellae,
 12 pectoris ut curas proderet illa mei.
 13 Nec nos insani laedebant murmura venti,
 14 dum facimus tutum per nemus illud iter.
 15 At simul attigimus fumosae culmina villae,
 16 eque luto factas straminibusque domos :
 17 protinus inmixtis niveum lac ponitur ovis,
 18 virgineae mecum se tenuere manus.
 19 Lac simul exhaustum est, pisces subiere minuti,
 20 parvus et agricolae quod tulit hortus, olus.
 21 Inde lupi dantur, sed non quos horret ovile,
 22 ipse sed in media quos habet Albis aqua.
 23 Dum tamen exspecto (dictu miserabile) pernam,
 24 abstinui his, captus spe meliore, cibis.
 25 Inde sed elusus jejuno ventre recessi,
 26 o rus, o ruris sordida turba, vale.
 27 Quid referam vilis nobis data pocula Zythi,
 28 pocula sedandae non satis apta siti.
 29 Cernimus interea saltantes Alphasibaeos,
 30 Phyllidas et nulla ducere lege choros.
 31 Tollimus et longos petulanti splene cachinnos,
 32 hic mihi jejuno risus amarus erat.
 33 Lusibus hinc aliquot, sed tristi mente, peractis
 34 moenia non longa sunt repetita mora.
 35 Interea facies tibi gaudia praebuit urbis,
 36 o animi major pars, Rosemanne, mei.
 37 Interea teneram vidisti saepe puellam,
 38 et licuit nutu luminibusque frui.
 39 Interea caros inter bona vina sodales,
 40 non procul a dominae sunt tibi sumpta domo.
 41 Interea, sed quid nunc prosequar omnia verbis ?
 42 Interea factum, quod juvet, esse potest.
 43 Expertus dico, juranti crede Secundo,
 44 si sapis, expertis semper habenda fides.
 45 Rure nihil pejus, nil rure est tristius uno,
 46 urbe nihil melius, dulcius urbe nihil.

IV. EIDEM ROSEMANNO AD MUSAM.

C3_4 v.1 Vade tui vatis sermonum nuntia Clio,
 2 parva tibi sine me nunc peragenda via est.
 3 Cum venies, vicus, nomen qui matris amorum,
 4 hic tibi quo non est notior alter, habet.
 5 Protinus excelsas sed cultis gressibus aedes,
 6 noster ubi vivit nunc Rosemannus, adi.
 7 Virginibusque pio dicens cum patre salutem,
 8 et prius occulto pauca soluta sono :
 9 talia Martino dic nomine verba Secundi,

10 purpureae nomen cui peperere rosae.
 11 Dulcis amicitiae si foedera mutua curas,
 12 o decus et patriae spes, Rosemanne, tuae :
 13 te rogat ipse tuus cum patre Lotichius Alto,
 14 huc aditum, Nympha non remorante, feras.
 15 Pocula Zerbstiacci tibi ponet aquatica Zythi,
 16 nam Medici prohibet cura perita merum.
 17 Dixeris haec postquam, paucis pro tempore verbis
 18 ante salutata virgine diva redi.

V. EIDEM ROSEMANNO.

C3_5 v.1 Si potes ingenuos inter, Martine, sodales
 2 pocula spumoso ducere plena mero,
 3 huc venias, cum jam Titan vergentibus horis
 4 occiduo roseum laverit amne caput.
 5 Sed prius e toto mordaces pectore curas
 6 ejice, sollicitus sit procul inde dolor.
 7 Munera jam lassas reparant Baccheia vires,
 8 frontis abit dulci ruga severa mero.
 9 Ipse jocos tecum faciles, risusque solutos
 10 adfer, erit mensae candida turba meae.
 11 Sic tibi sint castae faciles ubicumque puellae,
 12 sic tibi sit semper dexter Apollo, veni.

VI. EIDEM ROSEMANNO.

C3_6 v.1 Si te deliciae tuae puellae,
 2 Martine optime, non tenent nec hortus :
 3 Petrus Lotichius Secundus orat,
 4 huc ad se venias meridiatum
 5 cum testudine, cum joco atque risu,
 6 nam domi pede claudicans iniquo,
 7 cum solo sedet otiosus Alto.
 8 Zerbstensis nec adhuc liquore Zythi
 9 restincta est sitis, et vetat Lyaei
 10 usum Paeoniae repertor artis.
 11 Huc ergo venias, amice noster,
 12 cum testudine, cum joco atque risu :
 13 sic cultae faciles tibi puellae,
 14 sic Musae tibi sint faventiores.

VII. BITTERFELDT URBIS ETYMON.

C3_7 v.1 Nomen amarities parvae cur fecerit urbi,
 2 quaeris, ubi pulchro gurgite Molda fluit ?
 3 Hanc ego jucundis peto dum comitatus amicis,
 4 a domina biduum cogor abesse mea :
 5 heu biduum, longo tempus mihi longius anno,
 6 o mihi dura simul nox et amara dies !
 7 Tu tamen ambrosiae nomen caelestis haberes,
 8 sola comes nostrae si foret illa viae.

VIII. QUERELA AMATORIS.

C3_8 v.1 Sol lucis auctor occidit, fugit dies,
 2 sol tollit alter aureum mihi jubar.
 3 Puella dum liquoribus rosarium
 4 irrorat, Hespero micante pulchrior,
 5 puella saucians mihi cor intimum,
 6 quae liliū, rosasque vincit et faces
 7 collo, genis, ocellulisque fulgidis.
 8 Haec cum sororibus sub hoc crepusculum
 9 flores calore languidos aquis rigat,
 10 dulcique rore tingit, o ter et quater
 11 beate amarace, o beata lilia !
 12 Vos illa tangit, aridam levans sitim,
 13 vos fontis algidas scatentis undulas,
 14 meum sed ebibit puella sanguinem.
 15 O si liceret, ipse lacrimis meis
 16 vos irrigarem, vos decus resumitis,
 17 vobis honor redit, sed ipse languo,
 18 et sicut herbulae liquoris insciae
 19 aresco semimortuus, sed heu dolor !
 20 Eheu dolor ! Quid, heu ! querar miserimus ?
 21 Sol, dum loquor, repente nobis occidit,
 22 jam lux recedit, ingruique nox gravis.
 23 Vale, puella, cordis unicum mei
 24 levamen, o Rosa, o valetate lilia.

IX. MARTINO ROSEMANNO.

C3_9 v.1 Martine optime, qui fides canoras
 2 docto pollice tangis, et venustos
 3 chordis adsocias modos jocosis.
 4 Si paulum vacat et potes venire,
 5 hac cena, precor, huc ades peracta,
 6 cum testudine, qua tibi benignas,
 7 qua reddis faciles tibi puellas.
 8 Hesterna quia luce (da roganti
 9 hanc quaeso veniam) tuae penates
 10 intravi, Deus ut ferebat, Evae.
 11 Tum sumens cyathos capaciores
 12 promisi, comitante te lyraque,
 13 me venturum hodie, sed ad fenestras
 14 tacturum citharae canora fila.
 15 Hoc nunc exsequar, hoc agam necesse est.
 16 Quare, si vacat, huc, amice noster,
 17 cum testudine blandula venito.

X. EVA.

C3_10 v.1 Nunc scio quid sit amor, nunc doctus ab indice dico,
 2 en iterum dico, nunc scio quid sit amor.
 3 Nam mea dum sine me connubia laeta frequentat,
 4 jamque choros dulces Eva licenter agit ;
 5 heu mihi quam varii subeunt praecordia motus,
 6 quam timor absentem nunc quoque major habet,
 7 hanc etiam sine me nunc forsitan adspicit alter.

8 Res est plena malae suspicionis amor.
 9 Nunc alius niveasque manus, et eburnea tangit
 10 brachia, nunc lateri jungit et ille lateris.
 11 Nunc capit amplexus, nunc forsitan oscula sumit,
 12 omnia nam saltans ebrius audet amans.
 13 Quisquis es, o felix, sed non diuturna voluptas
 14 haec erit, haec finit gaudia vestra dies.
 15 Cras ego carus ero solus, cras solus habebō,
 16 cras mihi per nutus gaudia mille dabit.

XI. ROSEMANNO ET ALTO.

C3_11 v.1 Martine optime, tuque dulcis Alte,
 2 oro vos per Apollinem, novemque,
 3 fontis Pierii decus, sorores :
 4 ne me corde putetis ex maligno
 5 oblitum veteris sodalitatis.
 6 Sed me, quae dolor ipse vult taceri,
 7 a vobis retinent domi, sed heu, heu,
 8 non totum, quia pars subinde cordis
 9 vobiscum potior mei est, manetque.
 10 Sed tempus veniet, Deo volente,
 11 quo tu subdola lingua, tuque livor
 12 poenas pro meritis graves luetis.
 13 Curis sumite vos merum solutis,
 14 Marine optime, tuque dulcis Alte.

XII. ROSEMANNO SUO.

C3_12 v.1 Maxime mi Martine meis memorabile Mysis,
 2 nomen, et Aoniae gloria dulcis aquae,
 3 si cupis esse tibi faciles in amore puellas,
 4 turba sodalicii si tibi grata, veni.
 5 Si renuis, fingens causas, et adesse recusas,
 6 sic tibi difficilis, sit gravis Eva. Vale.

XIII. SUO SIDERI.

C3_13 v.1 Forte rogas, Sidus, mihi sidere durius omni,
 2 quid tibi verba tui sideris ista ferant.
 3 Perlege, sic faveant tibi sideris instar ocelli,
 4 te quibus exurit nobile sidus Eva.
 5 Prandia cum gemino sunt nobis sidere sumpta,
 6 sed, Rosemanne, tuum sidus abesse reor.
 7 Sidus abest, quid tum ? Restant duo sidera, restant
 8 sidera Pierio semper amica choro.
 9 Si tamen absentis torquent te sideris ignes,
 10 huc, cum sideribus si juvat esse, veni.
 11 Dulce vale fidus cum dulci sidere nostro,
 12 Dulce ueni sidus, dulcis amice veni.

XIV. GULIELMO RUGERO, COMPATRI SUAVISSIMO.

C3_14 v.1 Si sitire voles et esurire,
 2 jucundissime Compater, parumper
 3 huc ad me venias : olus habebis
 4 atque herbas pariter salubriores,
 5 addam pisciculos minutiores,
 6 nec te fervidus ac potens Lyaeus
 7 ad saevam male provocabit iram.
 8 Nam ponam calices amariores,
 9 fabellas recitabis has et illas
 10 facetissimus omnium viator.
 11 Ergo, candide Compater, venito,
 12 si sitire voles et esurire.

XV. HARTMANNO SCHOPPERO.

C3_15 v.1 Si sint ista tuae juvenilia carmina Musae,
 2 gaudeo primitiis, culte poeta, tuis.
 3 Suavibus illa etenim demulcent pectota verbis,
 4 et spirant Elegis ingeniosa modis.
 5 Felix, si studio numquam discedis ab isto,
 6 tempora si venient justa, disertus eris.
 7 Inter et egregios olim numerabere vates,
 8 iudicium si quod posteritatis erit.
 9 Tu saltem ingenio tali utere, dote suprema
 10 utere, quae caeli numine sola venit.
 11 Atque piis conjunge sacras cum moribus artes,
 12 si cupis esse mei, si memor esse tui.

XVI. AD PAULUM PELLONIUM SMALCALDENSEM.

C3_16 v.1 Paule, puer teneris et adhuc crescentibus annis,
 2 ad Musas doctam carpere perge viam.
 3 Si quae dispensant mortalia fata sorores,
 4 quod fiet, dederint fortia fila tibi :
 5 tempus erit quondam nostri cum temporis annis
 6 maxima Pierii pars eris ipse chori.
 7 Bruschius ipse tui praeconia digna peregit
 8 ingenii, quem tu more parentis ama.

XVII. AD CLARISSIMUM VIRUM VICTORINUM STRIGELIUM ERFORDIA DISCEDENTEM.

C3_17 v.1 Mirabar, quidnam, missos post aere nimbos,
 2 mox fieret pulso clarior imbre dies,
 3 Strigelius superis dilectus, inire paravit,
 4 Aonidum coetus quem comitatur, iter.
 5 Felix, cui placidum se praebet maximus aether,
 6 cui rigidum ponit frigida bruma gelu.
 7 Vade bonis avibus, non, ut prius, hoste feroci
 8 in cursu pavidos incutiente metus.
 9 Auspice parva Deo laetus pete moenia Jenae,
 10 parva, sed adventu magna futura tuo.
 11 Pierides tecum veniunt et Apollinis artes,
 12 illa tuas semper turba secuta vias.

13 Visa recognoscent quondam sibi jugera Musae,
 14 exsulibus patuit non semel ille locus.
 15 Gaude, Jena, novem decus auditura Sororum,
 16 Aoniae Phoebos fila movente lyrae.
 17 Turbidus et spreto qui flumine tristis Hiera
 18 a Salae rapidis excipietur aquis.
 19 Laeta nec accipient per ripas carmina Nymphae,
 20 ista Pieridum cedit ab urbe chorus.
 21 Ah nimium lacrimis olim deflenda nepotum,
 22 urbs semper propriis invidiosa bonis.
 23 Quod non ulla dies aboleret, nomen haberet,
 24 si suus hic doctis artibus esset honos.
 25 Nunc studiosa cohors et tu facunde recedis,
 26 amissum poteris qui reparare decus.
 27 I tamen, et semper mansuetis utere fatis,
 28 Aonides cujus nomen et omen amant.
 29 Vince, quod ingenuas obstat profitentibus artes,
 30 barbariem linguae fulmine vince tuae.
 31 Quid moror ? I felix, crescatque serena perenni
 32 gloria successu nominis usque tui.

XVIII. AD SODALES.

C3_18 v.1 Aonidum coetus habitataque tecta valete,
 2 docta sodalicii membra valete mei.
 3 Non tamen hinc totus vobis remanentibus ibo,
 4 corpore semotus, mente propinquus ero.

XIX. AD DEICHMANNUM DE CORNELIA.

C3_19 v.1 Dum riget hiberno turbatum frigore caelum,
 2 et madidus pluvias concitat Auster aquas,
 3 interea, Deichmanne, diem fas ducere blandis
 4 cantibus, et leni concelebrare mero.
 5 Hic etiam faciles aderunt, notique sodales,
 6 Musarum sacro dedita turba choro.
 7 Ante torum pueri miscebunt vina bibenti,
 8 nec deerunt dulces et sine felle sales.
 9 Cor recreant citharae, vinumque, levesque puellae,
 10 omnis ab his animi cura dolorque fugit.
 11 Ripa Nicri facie praestantes inclyta nymphas
 12 nutrit ad hospitii tecta propinqua tui :
 13 ex illis vultu sic enitet una sereno,
 14 lilia ceu teneris candida mixta rosis.
 15 Illa tuis, opto, precibus, votisque pudicis
 16 adnuat, hoc verum si cupis esse, veni.

XX. DAVIDI CHYTRAEO S.

C3_20 v.1 Pars animae, Chytraee, meae, cui blanda deserto
 2 gratia Nestorei mellis ab ore fluit,
 3 cinctus ubi radiis Titan prope luce peracta
 4 occiduo fessos aequore condet equos.
 5 Te rogo, si fidum non dedignaris amicum,
 6 huc aditum, Thoma te comitante, feras.

7 Ante tamen ponas vacui jejunia ventris :
 8 frigidus exstincto stat meus igne focus.
 9 Signa voluntatis rectae sincera dabuntur,
 10 haustaque de pleno dulcia vina cado.
 11 Aonides veniant tecum, Charitesque decentes,
 12 et jocus et rifus, Cecropiusque lepor.
 13 Non tibi junctarum deerunt modulamina vocom,
 14 non chelys artificii sollicitata manu.
 15 Nec pudor est vino mordaces pellere curas.
 16 O curae requies, o medicina merum !
 17 Te quoque, quem magnus sapientem dixit Apollo,
 18 continuos perhibent sic vigilasse dies.
 19 Dulcia carpamus fugitivae munera vitae :
 20 hoc sapere est. Curae cetera cuncta Deo.

XXI. MARTINO FABRO AMICO SUO.

C3_21 v.1 Care Faber, quem non fabricando Mulciber aequat,
 2 aetherei quamvis sit faber ille Jovis.
 3 Cui tenerae donant cum carmine sarta puellae,
 4 culmina sacrati quas Heliconis habent.
 5 Reddimus en caros tibi, dulcis amice, sodales,
 6 non mihi vise quidem, dulcis amice tamen.
 7 En redit Ulricus, redit Herdesianus, et alter,
 8 qui merito Jani nomen et omen habet.
 9 At vos, dum liquidi celeberrima flumina Salae
 10 adcolitis, memores nominis este mei.
 11 Laetaque dum posito trahitis convivium Baccho,
 12 praebibo, dic etiam, care Secunde, tibi.
 13 Sic tibi sint faciles Musae, sic dexter Apollo.
 14 Felix, Musarum cui licet ore loqui.
 15 Haec tibi contingant, me tertia littera torquet,
 16 littera sed votis non satis aequa meis.
 17 O utinam mecum testudine ludere dulci
 18 ad dominae possis nocte silente fores.
 19 O utinam, sed quid mihi prosunt irrita vota ?
 20 Pocula jam restant evacuanda mihi.
 Vale.
 21 Haec tibi cum duro properarem carmina versu,
 22 annulus in digito virginis ater erat.
 23 Forte rogas signum ? Cancrum mea dicit amica,
 24 Hellespontiacum sed reor esse Deum.

XXII. JOHANNI HAGIO AMICO VETERI SUO, S.D.

C3_22 v.1 Hagi, delictum tui Secundi,
 2 quem candor niveus mihi pudorque
 3 junxit, simplicitasque, quem Camenae,
 4 et dulces Charites fovent, amantque :
 5 quid rerum sine me geris, valesne
 6 absentis memor, an mei recessit
 7 omnis cura tibi ? Prius Boreo
 8 Auster flabit ab axe, Parrhasisque
 9 Arctos Oceani subibit undas,
 10 quam vivas veteris tui sodalis

11 oblitus, licet ille vel jugosas
 12 gressus in Latium ferat per Alpes,
 13 seu pulchrum Ligerim, Brabantiamque
 14 invisat sine te : comes sequeris
 15 fido pectore. Sic agamus, Hagi,
 16 vitae quidquid erit laboriosae,
 17 nil est dulcius optimis amicis ;
 18 nam mortalibus hoc reliquit aegris
 19 unum dulce Deus, bonos sodales,
 20 nox sunt cetera, pessimaeque curae
 21 vitae pernicies. Sed o quid, Hagi,
 22 haec aetatula dum viret tenella,
 23 dignum te facis, ut feraris olim
 24 doctorum sacer ora per virorum.
 25 An spumantis ad Albidos fluentum
 26 quaeris Paeoniis, amice, flores
 27 aptos usibus, et subinde quaeris,
 28 quae vis, quanta sit herbulis potestas ?
 29 Post haec Hippocratis, senisque Coi
 30 doctos perlegis et colis libellos,
 31 sacris deditus artibus medendi.
 32 Sic, o cor, facias, meum, nec ulla
 33 te divellat ab hoc labore cura,
 34 nec Bacchus, neque pessimae puellae,
 35 bellae sint licet atque mollicellae :
 36 vita, si sapis, has, amice, vita.
 37 At cum forsan ab Albidos recedas
 38 pulchro flumine, me tuum sodalem
 39 quantum vis sequere ultimas in oras.
 40 O lucem mihi ter, quaterque faustam,
 41 qua te rursus amiculum videbo.
 42 Vivas molliter o memorque nostri,
 43 Hagi, prime sodalium meorum.

XXIII. AMICO SUO HAGIO SUAVISSIMO.

C3_23 v.1 O jucunda meae pars consuetudinis, Hagi,
 2 candidius pura qui nive pectus habes.
 3 Ecquid adhuc vitreas spumantis ad Albidos undas
 4 es memor abdentis, dulcis amice, mei ?
 5 An quia pertentant Veneris tibi pectora flammae,
 6 forsitan est cordi nunc tibi solus amor ?
 7 An quia tot restant veteresque novique sodales,
 8 pars ego sum mentis nulla repente tuae ?
 9 Non dubito quin sim. Pia nam te sanctius uno
 10 suavis amicitiae foedera nemo colit.
 11 Unicus ad lustrum (memini) nunc additur annus,
 12 quo primum coepit tempore noster amor.
 13 Lanus ubi prisca Mavortis nomen adeptae
 14 moenia dividua separat urbis aqua.
 15 Interea patriae bello turbante quietem
 16 disjuncti fuimus corpore, mente simul.
 17 Donec sub gelida sita terra Lycaonis Arcto
 18 Leucorea rursus junxit in urbe duos.
 19 Dulce tuum testor caput, et, quas junximus una,
 20 pignus amicitiae tempus in omne, manus :
 21 te mihi prae cunctis dilectum semper amicis,

22 te magis in terris dulce fuisse nihil.
 23 Nescio quis genius trahit ambos, cordaque jungit :
 24 quisquis is, humanum continet ille genus.
 25 Non sine amicitia pondus mihi divitis auri,
 26 nec Tagus aurifero quod vehit amne, velim.
 27 Alter opes quaerat, quem dira fatigat habendi
 28 temporibus cunctis non satianda sitis ;
 29 possideant alii fecundi jugera campi,
 30 arvaeque conjunctis plurima bobus arent.
 31 Sat mihi. Si fidae contingat mentis amicus :
 32 vincit enim cunctas unus amicus opes.
 33 Rebus in adversis misero solacia praebet
 34 laetitiae consors sorte favente tuae.
 35 Hoc ego nunc vobis, o dulcis amice, relictis
 36 sentio, seu foveam gaudia, sive gemam.
 37 Nullus adest (heu heu !) seu forsán seria curem,
 38 sive jocos agitem pectore, nullus adest.
 39 At mihi dum licuit tecum consumere tempus,
 40 quam brevis hora mihi, quam brevis annus erat !
 41 Quam mihi tunc curas multus relevabat amicus !
 42 O bona convictus membra, sacerque chorus.
 43 Praecipue tu fraude carens et amabilis Hagi,
 44 Hagi, delictum dulce decusque meum ;
 45 te mihi virginei praeclara modestia vultus,
 46 et carum in Musas reddidit acer amor :
 47 quodque potes rapidi componere pectoris iram,
 48 quodque tacere suo tempore, quodque loqui.
 49 Hei mihi, quod tecum jam non conceditur ultra
 50 vivere, nunc animi parte carebo mei.
 51 Ah lacrimosa dies, qua te, jucunde, reliqui,
 52 qua tibi supremo diximus ore "vale".
 53 Ergo peregrinas gentes et regna videbo
 54 Gallica, te longas non comitante vias ?
 55 Raraque tam longe mihi littera missa salutem,
 56 unde queam de te certior esse, feret.
 57 Forsan et externas (absit tamen omen) in oras,
 58 te sine, me miserum ! Non rediturus eo.
 59 Quidquid erit patiar, non sum rudis ante malorum,
 60 omne feram, quidquid fert miserandus homo :
 61 et seu terra meum tumulo premet hospita corpus,
 62 seu dabitur reditus posse videre diem :
 63 te sub humo pulvis, te semper amabo superstes,
 64 parsque mei semper maxima cordis eris.
 65 Tu quoque, si mereor, nostri memor omnibus annis
 66 esse velis, menti par in amore meae.
 67 Nomen et absentis referes ubicumque Secundi,
 68 hoc precor, hoc dicas, Christe, tuere caput.
 69 Dum tamen irriguum sine me nunc vivis ad Albim,
 70 quid facis, an pectus nunc quoque torquet amor ?
 71 Castaque te pulchris delectat moribus Anna,
 72 moribus et formae dotibus Anna potens ?
 73 Virginis aut aedes comitantibus hospes amicis,
 74 quando tuis votis nox redit apta petis ?
 75 Hic aliquid dulci forsán cum matre susurras,
 76 et favet, et verbis adnuit illa tuis.
 77 Felix cui roseos coram fas cernere vultus,
 78 dicere blanditias cui licet atque jocos.
 79 Basiolumque genis libare rubentibus udum,

80 et tenui blandos addere voce sonos.
 81 Haec ego, cum fruerer quondam, nihil esse putabam,
 82 nunc te felicem, nunc ea magna voco.
 83 Ne tamen, o Phoebi decus, o mea summa voluptas,
 84 ne, precor o, turbae more furentis ames.
 85 Crede mihi, fidum nec sperne monentis amici
 86 consilium : expertis semper habenda fides.
 87 Ipse mihi videor nunc demum vivere, postquam
 88 haec penitus cessit pectore cura meo.
 89 Vivo mihi, totaque sopor jam nocte quietem
 90 irrigat, et gemitus rarus ab ore sonat.
 91 Claudia sollicitos nobis finivit amores,
 92 sed tamen hoc etiam tempore cara mihi.
 93 Hanc precor interdum verbis soleris amicis :
 94 juro per Aonidas, Claudia fida fuit.
 95 Fida, nec Albiacis par in levitate puellis,
 96 Claudia perpetuo digna favore tuo.
 97 Vive, memorque mei non duris utere fatis,
 98 utque tuo felix sis in amore. Vale.

XXIV. GEORGIO CRACOVIO, POMERANO, S.

C3_24 v.1 Artis Pieriae diserte cultor,
 2 jucundissime Craco, cui Sorores,
 3 fontis Pegasei decus, ministrant
 4 et Graiae pede vocis et Latinae
 5 ubertim numeros venustiores.
 6 Hoc nostrum, rogo, qualecumque carmen,
 7 vestris quo thalamis bene ominamur,
 8 vultu perlege, si vacat, sereno.
 9 Non sane pedibus laboriosis,
 10 nec cultum est nimis elegante versu ;
 11 sed quales subito calore moti
 12 chartis ludimus in quotidianis.
 13 Nec blandis salibus scatet jocisque
 14 mollis pagina, laudibus sed effert
 15 ardores pia Musa conjugales.
 16 Quare, quidquid id est, bonam, Georgi,
 17 in partem accipe, sic diu superstes
 18 cum dulcis socia cubilis olim
 19 jucundos videas senex nepotes.
 20 Sic pax adsit, et in dies et horas,
 21 vestris crescat amor calens medullis.

XXV. EPITHALAMIUM GEORGII CRACOVII POMERANI, ET SARAE BUGENHAGIAE.

C3_25 v.1 Forte rogas, taedis felicibus aucte Georgi,
 2 dum legis imparibus condita verba modis ;
 3 quid tibi conjugii mittantur tempus ad ipsum,
 4 istaque sit cujus littera facta manu.
 5 Perlege, si rerum sinit ingens cura tuarum,
 6 exiguae pretium res erit illa morae.
 7 Junctus amicitiae tibi foedere mitto Secundus
 8 hoc breve, Musarum jussa secutus, opus.
 9 Adjacet arboribus densum nemus Albidus undis,
 10 mitia dant rami frigora, gramen humus.

11 Arbutus, e lymphis nutrita palustribus alnus,
 12 quercus et annoso robore dura viret.
 13 Hic prope labentes tenera spatiabar in herba
 14 mane sub exorti lumina solis aquas.
 15 Cumque dolens querula meditarer arundine carmen,
 16 et nemus adgemeret planctibus omne meis.
 17 Adstitit arboreis sub frondibus una Sororum,
 18 plectra sub Aonio quae sacra colle movent.
 19 Cincta tegebatur Parnaside tempora lauro,
 20 et variis, tellus quas alit alma, rosis.
 21 Adstitit, et citharam positus, ait, "Accipe cannis
 22 nunc opus ad thalamos est leviores lyra.
 23 Namque tuus, Viadri spumantes natus ad undas,
 24 foedus inquit socii Craco jugale tori.
 25 Filia cui paribus Pomerani jungitur annis
 26 conjugio felix Sara futura novo.
 27 Crastinus Eoo cum Phoebus ab orbe redibit,
 28 ipse suum praesens munus obibit Hymen.
 29 Ergo age, connubio junctis gratare duobus,
 30 gaudeat ut numeris nuptaque virque tuis."
 31 Sic ait, et pressit vocem, pariterque recessit ;
 32 blandius et solito concinuistis aves.
 33 Pareo Musa tibi genialis recta monenti,
 34 nunc ego par sacris vatibus esse velim.
 35 Dum tibi, Musarum decus o praedulce, Georgi,
 36 gratulor haec socii vincula casta tori.
 37 Jam fueras claris naturae dotibus auctus,
 38 gloria natalis summa decusque loci.
 39 Jam tua laudabant miratae nomina gentes,
 40 stagnat ubi reflua Baltica Tethys aqua.
 41 Nec leve, seu Latia caneres seu voce Pelasga,
 42 Aonii vatis nomen adeptus eras.
 43 Gryphia nunc etiam te silva celebris uno
 44 Pegaseas tecum luget abesse deas.
 45 Quid referam leges, caelique volubilis orbes,
 46 astraque fatorum conscia, nota tibi ?
 47 Sed thalami dulcis fida consorte carebas,
 48 nec tenerum pectus gratus habebat amor.
 49 Deerat adhuc sociis quae tecum legibus aevum
 50 uxor ad extremum degeret usque diem.
 51 At placidum cordi Venus inspiravit amorem,
 52 ne foret inpatiens dulcis, ut ante, jugi.
 53 Caelibus hinc animum coeperunt taedia lecti,
 54 imaque concessus venit in ossa calor.
 55 Reddidit et voti numen caeleste potentem,
 56 uxorem munus credimus esse Dei.
 57 Jamque diu casto fructus in amore petitos,
 58 jam, dulcis conjux, quae tibi dicat, habes.
 59 Est etiam consors patriae socer, incluta cujus
 60 fama procul niveis exspatiatur equis.
 61 Testis Hyperboreo tellus vicina Trioni
 62 hoc Doctore sacram terra professa fidem.
 63 Albis ubi tumido restagnans turbidus aestu
 64 occidui rapidas aequoris intrat aquas.
 65 Testis et immunes pelagi quae fufpicit Arctos
 66 Dania, quam monitis imbuit ille suis.
 67 Vive diu, venerande senex, fideique labantis,
 68 quod facis, et curam religionis age.

69 At quibus, innumeras in casto pectore dotes
70 laude vehens, celebrem te, pia Sara, modis ?
71 Sara patris matrisque tuae jucunda voluptas,
72 o decus et sexus gloria magna tui.
73 Omina nominibus, si vera fatebimur, insunt,
74 saepius ex solo nomine multa patent.
75 Qualis enim quondam sera fecunda senecta
76 feminei specimen Sara pudoris erat ;
77 talis et haec studiisque piis, curaue tuendae
78 Sara pudicitiae vix habitura parem.
79 Signa dat ingenuae divina modestia mentis,
80 quique verecundo lucet in ore pudor.
81 Est etiam facies nativi plena decoris
82 omnibus et membris gratia dulcis inest.
83 Sideribus similes alius miretur ocellos,
84 quique micat niveo gratus in ore rubor.
85 Sat mihi si fastuque carens sit et utilis uxor,
86 fraudis et ignara simplicitate rudis.
87 Longa dies formam corrumpit euntibus annis,
88 aucta mora probitas inviolata manet.
89 His igitur nimium felices dotibus ambo,
90 digne vir hac nupta, sponsaque digna viro.
91 En etiam vobis meliori lumine caelum
92 nunc favet, et puro candida sole dies.
93 Tempora nec fuerant taedae magis apta jugali,
94 quam quae de juvenum nomine nomen habent.
95 Nunc rediere leves tepefactis ossibus ignes,
96 ipsaque cum tota corpora mente vigent.
97 Nunc quoque conjuncta requiescit in arbore palmes
98 vitibus et gravidis ulmus amicta viret.
99 Pondere neve suo subsidat fertilis arbor,
100 subdita fert rami furca bicornis onus.
101 Flatibus et rapidos levis aura salubribus aestus
102 temperat, et flores educat almus ager.
103 Haec quoque temperies caeli fuit orbe recenti,
104 cum socio juncti femina virque toro.
105 Aera jam volucres habitabant, aequora pisces,
106 et fera degebat cum pare quaeque suo.
107 Solus adhuc vivebat homo de stirpe virili,
108 legitimi consors nulla cubilis erat.
109 Noluit hoc Dominus, placidoque sopore soluti
110 protinus e costa femina facta viri est.
111 Foedere conjugii Deus hos conjunxit, et illis
112 indita divini numinis aura fuit.
113 Admiranda Dei in nobis miracula fulgent,
114 impressa humanis mentibus illa nitent.
115 Quod trahit unanimum conjux cum conjuge vitam,
116 par et in amborum sensibus ardor inest ;
117 non hoc fit casu, Deus est qui pectora jungit,
118 caelitus amborum spiritus ille venit.
119 Sic etenim sacro dixit Deus unicus ore,
120 cum prima est primo femina juncta viro.
121 "Vos duo perpetuo vivetis foedere nexi,
122 jungitur haud umquam dissoluenda caro."
123 Hinc sua nunc passim cognoscunt semina gentes,
124 durat et in certa sede pudicus amor.
125 Felices, quos ipse Deus conjunxit in unum,
126 copula quos certo foedere casta tenet.

127 Turpis ager sine messe ferax, sine compare lectus,
 128 ut sine sideribus nox, sine sole dies.
 129 Dulcius est fida quid conjuge ? Dulcius illa
 130 quae tenet ex aequo mutua flamma duos ?
 131 Hos Deus ipse bonis auget pietate perenni,
 132 ipse dat his casti pignora multa tori.
 133 Ducite concordēs igitur sine litibus annos,
 134 inque Deum vobis nil sit amore prius.
 135 Sitque tenax in utroque fides, eademque voluntas,
 136 et sua legitimus foedera servet amor.
 137 Nam licet hic turpis vitae commissa tegantur,
 138 impia post obitus vindicat acta Deus.
 139 Certa fides etiam castis in amore columbis,
 140 diligit has ideo mater amoris aves.
 141 Turturibus quoque certa fides, nec finit amorem,
 142 funere sublato compare, summa dies.
 143 Non viridi maerens requiescit in arbore caelebs,
 144 nec nisi turbatas anxia potat aquas.
 145 Haec quoque cum pecudes faciant rationis egentes,
 146 convenit humanum castius esse genus.
 147 Nostra, quibus sacer est vigor et caelestis origo,
 148 artificem referant corda pudica suum.
 149 Conciliant animos etiam par ardor et aetas,
 150 quae nihil in vobis disparitatis habent.
 151 Sidera fulserunt nascentibus una duobus,
 152 flagrat et in geminis mentibus ignis idem.
 153 Ergo brevem caste simul exercete juventam,
 154 dum licet, heu rapido labitur illa pede.
 155 Nam subito rugae veniunt in corpus aniles,
 156 gratus et in pulchro deperit ore decor.
 157 Cetera, quae nostra non debent voce moneri,
 158 monstrabit praesens conubialis Hymen.
 159 Ducite felices animis concordibus annos,
 160 cunctaque pro vestro sint rata vota toro.

XXVI. CAROLO CLUSIO AMICO SUAVISSIMO.

C3_26 v.1 Si mea mens in te, Clusi, mutabilis esset,
 2 nec rapida scirem quid face possit amor.
 3 Certe posthabitis irascerer omnibus, ausus
 4 quod sis delicias contemerare meas :
 5 non ego te lepidis queror indulsisse choreis,
 6 nec queror in gremio quod fuit illa tuo.
 7 Sed tibi cur soli munuscula dulcia, Clusi,
 8 aut etiam manibus cur dedit ipsa suis ?
 9 Forsan et acceptis fixisti basia donis,
 10 et pupugit teneras aspera barba genas.
 11 Hoc unum doleo. Nec enim vulgaris in illam
 12 est meus, ut verum confiteamur, amor.
 13 Te capiant veteri Mosis de gente puellae,
 14 inque tuo ructent allia foeda sinu.
 15 Leniat, ut digna est, nostros tunicata dolores :
 16 delicias posthac laedere parce meas.
 17 Sic tibi sint venti faciles, conchaeque frequentes :
 18 ad mare sis felix, et rediturus eas.

XXVII. CAROLO CLUSIO AMICO SUAVISSIMO, IN PATRIAM ABEUNTI S.

C3_27 v.1 Clusi, pars vitae atque animae dulcissima nostrae,
 2 paene etiam vita dulcior atque anima ;
 3 tu quoque dilectae post funus triste puellae
 4 tam cito te nostris eripis ex oculis ?
 5 Sic me destituis, mihi qui me carior ipso es,
 6 et tecum hinc aufers omnia nostra bona ?
 7 Vade age. Nam patriam fas est praeponere nobis.
 8 Patria nam multo dulcior et melior.
 9 Ast ego nec verbis potero nec fletibus ullis
 10 paxillum nostrae demere tristitiae.
 11 Non mihi erunt dulces Musae, velut ante fuerunt,
 12 dulcia nec Bacchi munera, nec Veneris.
 13 Delicias omnes tristi de mente fugavi,
 14 et dominam in campos jam sequor Elysios.
 15 Cujus, quod licuit, confectum in funere carmen
 16 tecum per longas jussimus ire vias.
 17 Teque valere opto, et cunctos evincere casus,
 18 o numquam posthac adspiciende mihi.

XXVIII. AD GULIELMUM RONDELETUM MEDICUM ILLUSTRUM,
DE OBITU PUELLAE A SE ADAMATAE TUNICATAE IN MONTEPESSULANO.

C3_28 v.1 Sic mihi tristitiam video luctumque perennem :
 2 jam dominae properant ultima fata meae.
 3 Parce laboranti mors immatura puellae,
 4 parce, precor, leto me trahit illa suo.
 5 Illius occasu terras, hominesque relinquam,
 6 et sequar ad manes, Elysiumque nemus.
 7 Rondelete vale : si qua revalescere posset,
 8 jam foret auxiliis salva puella tuis.
 9 Nam quis te melius succos adhibere salubres,
 10 aut placidam citius tradere possit opem ?
 11 Sed nihil invito medicamina numine prosunt :
 12 hei mihi, plus herbis mors valet atra tuis !
 13 Fallere quis possit, quamvis procul absit, amantem ?
 14 Absumus, et dominae scimus adesse necem.
 15 Non mihi fama venit saevi praenuntia luctus,
 16 devia nec maestum concinit omen avis.
 17 Somnia me terrent simulacraque noctis opacae ;
 18 gaudia quae ventos nostra tulisse monent.
 19 Me miserum, poterone pati poterone mederi ?
 20 Non potero, leti causa sit illa mei.
 21 Vos mihi, dum vixit, populi placuistis et urbes,
 22 urbibus et populis lux mea sidus erat.
 23 Quid referam, quoties cultos migraret in agros,
 24 ut foret in solis candida vita locis ?
 25 Vos lauri testes, et vos juga consita lauris,
 26 qua trahit obliquas in mare Laedus aquas.
 27 Saepe novum vestro cecini sub tegmine carmen,
 28 fusus in herbosa ruris amator humo.
 29 In pratis legi violas, in litore conchas,
 30 haereret lateri dum comes illa meo.
 31 Nunc quoque, vita, tibi nigras comes ipse sub umbras,
 32 si liceat, junctis passibus ire velim.
 33 Exitus in Diis est ; sed quod mens provida veri

34 augurat, invenient cura dolorque viam.
 35 Degere fert animus solis in montibus aevum,
 36 quo ferat humanos semita nulla pedes.
 37 Illic in vacuis desolatissimus antris
 38 maestus, ut amissa compare turtur, agam.
 39 Nec virides herbae, nec me teget umbra jacentem
 40 frigida, nec puro fonte levabo sitim.
 41 Sive bibam, liquidas turbabo fletibus undas,
 42 sive cubem, nullo caespite fultus ero.
 43 Vos etiam, dulces Musae, laurique valete,
 44 Huttenus patriae quas tulit ante meae.
 45 Carmina quid prosunt non exorantia mortem ?
 46 Quidve pio casti vatis in ore preces ?
 47 Non ego, Cynthi pater, quae te sperare jubebam,
 48 suspendam ripis munera vota tuis.
 49 Nam, bene si memini, cum non rediturus abirem,
 50 per tua cornipedi flumina vectus equo :
 51 "Cynthi vale, dixi, si me tibi fata remittent,
 52 eque tuo, patriae redditus, amne bibam ;
 53 ex hedera voveo Nymphis viridante coronam,
 54 quam vetus ad liquidas quercus habebit aquas :
 55 nunc inhonoratus nullis celebrabere donis :
 56 Cynthi, revisendi spes mihi nulla tui."
 57 At vos, qui nobis illic superestis amici,
 58 exiguus dominae qua tegit ossa lapis.
 59 Tu, Clusi, et tu dulce meum, Fissere, levamen,
 60 quos credo nostris ingemuisse malis.
 61 Muneribus bustum infelix decorate supremis,
 62 Allobrogum gelidis dum vagor ipse jugis.
 63 Atque hoc, aut simile huic aliquod superaddite carmen :
 64 "Quae jacet hic, teneri vatis amica fuit."
 65 Hoc satis est : bene sic mea lux placideque quiescas,
 66 ultima et haec cineri sint monumenta tuo.

XXIX. IN GULIELMI RONDELETI, MEDICI, HISTORIAM PISCIIUM.

C3_29 v.1 Qui primus latum sulcavit puppibus aequor,
 2 utilis humanis usibus ille fuit.
 3 Is populis orbem patefecit, et horrida vidit
 4 monstra, procellosi divitiasque maris.
 5 Idem caeruleas scrutatus navibus undas,
 6 piscibus in mediis nomina fecit aquis.
 7 Ille sed aequoreae numerum subducat arenae,
 8 quotque tegat caelum nosse laboret aves :
 9 in scopulis frutices, in litore computet algas,
 10 qui volet undivagos dinumerare greges.
 11 Quin etiam Solemque suum, sua sidera passim,
 12 et quascumque seras terra alit, aequor habet.
 13 Dulcibus haec cecinit numeris prius omnia vates
 14 editus ad ripas, lucide Cydne, tuas :
 15 nunc etiam nostri lux Rondeletius aevi
 16 nobilis ornatum condidit auctor opus.
 17 Macte animo, macte ingenio, et praestantibus ausis,
 18 magna tuae merces sedulitatis erit.
 19 Nulla tuum poterit nomen delere vetustas,
 20 dum tumidus salsas Pontus habebit aquas.

XXX. ADAMO GELPHIO.

C3_30 v.1 Dum te blanda fovet jucundi mater Amoris,
 2 laetaque sollemnis gaudia praebet Hymen :
 3 me dolor, anxietasque gravis, gemitusque fatigant,
 4 neve roges quae sit causa doloris : amo ;
 5 uror, et ingeminat flammam Cytherea recentes,
 6 uror, io saevas tolle Cupido faces.
 7 Nil possum reticere tibi, fidissime Gelphi,
 8 dignus es, ardori qui medeare meo.
 9 Per mediam paucis ibam comitantibus urbem,
 10 qua vetus antiquo curia juncta foro est ;
 11 ecce inopinanti placido venit obvia passu
 12 virgo decens, serto cincta virente comam.
 13 Virgo suburbanas inter pulcherrima nymphas,
 14 gratus in ore rubor, candida vestis erat.
 15 O decus, o aevi nostri dea, saecula qualem
 16 nulla ferent facie, nulla tulere parem !
 17 Protinus obstupui, totis simul ossibus arsi,
 18 uror, io flammis nympha medere meis.
 19 Quod superest (nec enim formam, nec amabile nescis
 20 nomen) ades vati, dulcis amice, tuo.
 21 Cumque hilares solito duces de more choreas,
 22 sit comes, et collo pendeat illa tuo.
 23 Nil precor ulterius : quamquam o ! Sed resque locusque
 24 plura vetant, volucris cetera mando Deo.
 25 Nec tamen haec ulli patulas referantur ad aures,
 26 sic urbana tibi servet amica fidem,

XXXI. DE DAPHNIDE SUO AD ADAMUM GELPHIUM.

C3_31 v.1 Falsa tuo sparsit de Daphnide, candida Gelphi,
 2 Enceladi mendax et tua, Coee, soror :
 3 vivit adhuc Daphnis, nec leto insontis amici
 4 pulcher honoratas polluit Acis aquas.
 5 Quo puer infelix meruisset crimine mortem ?
 6 Hostis an irriguis fontibus ille fuit ?
 7 Non fuit : Aonio quin docta liquore rigavit
 8 ora, sacro lauri cinctus honore comam.
 9 Fortunate puer, quoniam sic fata tulerunt,
 10 cui tam facundo contigit ore cani !
 11 Non tibi se nostra cantatus arundine Sarnis
 12 conferat, aut Lycidas caeruleusve Nicer.
 13 Quin ventura tuum celebrabunt saecula nomen,
 14 donec amans liquidas Acis habebit aquas.

XXXII. ADAMO GELPHIO CARISS. SUO.

C3_32 v.1 Cantus, amici, litterae, convivium,
 2 tranquillitasque pectoris,
 3 amabili mortalibus solacio
 4 dant multiforme gaudium.
 5 Sic, cum sodales candidi sub arborum
 6 umbraculis diem terunt,
 7 vel pampino cincti virente pocula

8 non ebriosa temperant,
 9 pudor ministrat, assidentque Gratiae,
 10 jocosque Musae suggerunt.
 11 Alios cupido torqueat pecuniae,
 12 turpissime lusus aleae :
 13 me sic novas, Gelphi, juvat molestias
 14 cantu meroque fallere.

XXXIII. GELPHIO SUO.

C3_33 v.1 Ni tua nota fides penitus mihi, candide Gelphi,
 2 esset, et ingenui pectoris integritas :
 3 non oculis ostensa suis, non lecta fuisset
 4 conscia furtivi littera consilii.
 5 Hanc ego celari causam volo, ne mihi forsan
 6 laesa Venus tristem gignat amaritiem.
 7 Scilicet in magnis occulti rebus amoris
 8 esse Paraetonium convenit Harpocratem.

XXXIV. OPTIMO AC ORNATISSIMO SEBASTIANO HAGELIO, J.V.D.

C3_34 v.1 Ne luge, venerande senex, tuus astra petivit
 2 filius, aeterni mens fuit ista patris :
 3 interea terris onus hoc mortale reliquit,
 4 et casti puras corporis exuvias.
 5 Tempus erit, quando vivus tellure resurget,
 6 occurretque oculis suavis, ut ante, tuis.
 7 Et cupidis blandae matris complexibus haerens
 8 junget maternis oscula mille genis,
 9 oscula, quae toto pellent suspiria corde,
 10 oscula, quae sacri nectaris instar erunt.
 11 Felix illa dies, quae nos caelestibus infert
 12 sedibus, hoc misero subtrahet exilio.
 13 Exilium haec vita est : (quod si fas dicere) multum est
 14 seu numquam nasci, sive repente mori.

XXXV. INFERIAE AD TUMULUM MODESTI MARSCHALC AB OSTHEIM, EQ. FRANCI.

C3_35 v.1 Hos tibi commendo cineres, hos, Felsina, manes,
 2 tu tege secunda nobile corpus humo.
 3 Occidit infelix, crudeli caede peremptus,
 4 occidit (heu !) vitae prodigus ipse suae.
 5 Testor amicitiae venerabile nomen, et omnes
 6 impia qui spectant, et pia facta, Deos :
 7 nescius abfueram, sed si sors ulla tulisset,
 8 haec quoque deserto dextra tulisset opem.
 9 Nunc sine te patriam repeto, tumulumque relinquo :
 10 salve, et perpetuum, dulcis amice, vale.

XXXVI. HERMANNO SCHOPPERO S.

C3_36 v.1 Tempus erat, rutilo cum surgunt sidera caelo,
 2 ortaue roriferae tempora noctis eunt,
 3 cum mihi culta tuae sunt reddita carmina Musae,

4 o puer aetatis spesque decusque tuae.
5 Quae tibi nascenti tam candida praebuit aether
6 sidera, quo caeli fulsit in axe Venus ?
7 Qualiter irriguis surgens amaranthus in hortis
8 inter purpureas spirat odore rosas,
9 tale tuum carmen : sic flore recentior omni
10 ille nitor Musae dulce canentis erat.
11 Odi ego difficiles salebras, inamabile carmen :
12 Aonio tinctum nectare carmen amo.
13 Turbidus ingrato decurrit murmure torrens,
14 gratior est parvae rivus amoenus aquae.
15 Ille trahit puro latices e fonte perennes,
16 blanda quibus pulchrae Naides ora rigant.
17 Talis in Aonidum patria, silvisque beatiss
18 perfluit aeternus sancta vireta liquor.
19 Illic largifluas vatum chorus omnis ad undas
20 inter odoratum ludit amatque nemus.
21 At myrthi vacua solus gemit unus in umbra,
22 quem circum lacrimis omnia plena madent.
23 Hunc quondam facilem pharetrato semper Amori
24 ipsa Venus campos duxit in Elysios.
25 Hoc duce carpe viam. Sed enim tu mente pudica,
26 caste puer, castis carmina finge modis.
27 Ipse quidem, nec vera nego, Sulmonis aquosi
28 ad Musas propius monstrat alumnus iter.
29 Sed tantum superat facundi Musa Tibulli,
30 quantum voce alias Daulias ales aves.
31 Macte animo, et tenerae florem ne perde iuventae,
32 tempora si venient justa, disertus eris.
33 Inter et egregios olim celebrabere vates,
34 ornabitque tuas laurus odora comas.
35 Quod superest, meritas pro misso carmine grates,
36 forte relaturus quando licebit, ago.
37 Interea mihi plura tui monumenta laboris
38 mitte, vices gratas experiere. Vale.
